…eod. Casim.

… Posnanien.

Posnaniensis Collegii Soc. Iesu Annibal ai portas.

ANNIBAL
Ad PORTAS *
Metropolitanæ Majoris Poloniæ Urbis.
Militanti Ecclesiæ ad Subsidium.
Triumphanti ad Gloriam.
CELSISSIMUS PRINCEPS
JLLUSTRISSIMUS
REVERENDISSIMUS
THEODORUS CASIMIRUS,
DUX in KLEWAN
CZARTORY-SKI,
EPISCOPUS POSNANIENSIS
In Solenni ad Limina Principū Apostolorū
Ingressu
SALUTATUS.
A Devinctissimo Honoribus Suis Collegio Posnaniensi
Societatis JESU.
Annô
Quo, DEUS profligato homini suppetias tulit
MDCCXXXIX.

Typis Regiis Clari Collegii Posnaniensis Societatis JESU.

* Urbis Posnaniensis stemma Porta.

IN STEMMA
CELSISSIMI PRINCIPIS



\- - - Totus in Vultus meos
Decurrit orbis; hinc, & hinc populi fremunt
Totusq; poscit Vindicem, Mundus suum

Sen: Herc: Oet:

Omnia genera bellorum, Armorum, uni TIBI cedunt.

de Constantino Imperatore.

Nulla acies vicit tantum pendebat ab uno
ROMA Viro - - - *Manil: L. 4to.*

Solusq; per omnes
Ibit Personas, & turbam reddet in UNO
Et magnos HEROAS aget - - *Manil: L. 5to.*

Nullâ re magis armatus, quàm Seipso FARNESIUS.
Strada Dec: 2.

- - - - Succumbere poscit
Cuncta Sibi, & populum Manus una petit
Claud: in Ruf.

Ante omnes, Bellô numerandus Amilcar
Silius.

Nihil obstare potest, vincere quod parat, jam Victum est.
Seneca.

- - - Populus, superamur ab Uno;
Ovid:

Properet malũ quodcũq; dum Terra HERCULEM habet
Seneca.

Vince, omnem Miles Virtute laborem
Silius.

- - Audax, Sperat sibi Cedere Virtus.
Omnia - - - *Lucan. L. 9no.*

- - - MENELAUS in Armis;
Hæc Belli summa est. - - *Homer.*

Me, Solum (quæso) Me, Toti opponite Bello
Silius.

Omnium Victor, terrorem Nominis sui latè Circumtulit
Florus.

I.

Nobilis,Auguſtã reſeraPOSNANIA Portã
Metropolis Lechiæ, Præſuleumq́;forũ.
Major TrojanoSonipes*Pogonia* ſubintrat;
Ter centũ ille*Viros*,mille dat Iſte *Duces*
ImplebitTeMarte novô; ſplẽdoribusAras
PlenaDucum clavîs,plena nitoreDomꝰ

II.

Sume paludatos vultus orbata Tyaris
Relligio, felix *Præſule* plaude novo:
Heros qui mæſto fuit ad ſolatia Regno
Gaudia cum violis multiplicata vehit
Hoſtes ne metuas; forti cuſtode teneris
Annibal ad portas ſtat cataphractus Eques

III.

Quid Portam recludis honor? Sacra Vitta POGONIAM
Una quid infrenas? quid facis una decꝰ
Non hæc ſufficiũt: frenẽt ſi mille Tyaræ,
Ibit plus ultra *Czartoryanus* Eques
Ille Vavellini Montis faſtigia ſcandet,
Conſcendet ſolium ſanctius Ille Petri.

IV.

Qui toties Patrio ſuccurrit Victor Achilli
Heroum ad portas ſtat gladiatusEques.
Attigit an metas? metas non noverat ullas
Porta triumphalis non ſibi meta ſtetit!
Pandetur,mediasUrbes intrabitHonorum
Cûi in Romuleas aurea porta patet.



Vicisti Bellator EQUES! Jam, celsa Quirini
Sternuntur calcanda juga! Ac Capitolia, vastô
Ingressu patuere tibi. Quid publica differs
Gaudia? Victricemq; vetas ascendere passum?
Aût age! non qua Grajûm acies, tristesq; Geloni,
Scipiadas vexêre Duces; vel si Appia Juli
Displicet, interjecta Tibri? Qua publicus exit,
In Latium, sacratus honor; quô tramite scandunt
Purpurei Albaniq; Patres; hôc, pone sacratum
Indomitus POGONIA gradum! Sic ire jubente
Majestate Ducis. Sacer, ipso in Limine PETRI,
TE PRÆSUL! suspectat honor: concedito (poscit)
Ad Violas Crinale Decus! vel, rite sacratîs
Posnæ arîs, decorande veni! Stat pervia; Vobis
Principibus, bene nota via! Olim, hac duxit ad Aras
(Usq; gemens calcatus ager, gressuq; superbus)
Emeritæ virtutis AVUM; Lege PRÆSUL in Aris,
Quas, gessit violas, vittas, trabeasq; Nepoti;
Ut posset meruisse Tibi. Hôc pete tramite Fasces;

Illmus Joannes Tarlo Episc: Posnan: Natus ex ClssmaCzartoryscia.

Purpurei Tu Conse Chori; quo TARŁO Secures
(Viciná prope stirpe fluens) tibi prætulit, olim.
I Sacer ANNIBAL? excubias acturus ad Aras,
Hostiles trepident Cunei? PETRUSq; triumphet!

Celsissimus Florianus Czartoryski Episcopus Posnaniensis Avus Præsulis Celsissimi.

FElicissimè triumphali ad Posnanienses trabeas Tuo ingressu, prima restituis sæcula, præsentis ævi Decus, elapsi Invidia, futuri Desiderium. ANTISTES CELSISSIME. Illam enim, Superûm & Apostolicæ Sedis favore, Regis AUGUSTI suffragiô, omnium conspirantibûs votîs, ascendis Cathedram; in qua, Avus Tuus CELSISSIMUS FLORIANUS CZARTORYSKI eminebat, illâ ornaris purpurâ, quam ille attriverat; Hunc præhendis Scipionem, quô ille Majestatem suam fulciebat; sic dum in Te trabeato NEPOTE, revixisse Purpuratum AVUM advertimus, prisca rediisse nobis Sæcula autumamus. Recessit Ille, ut Tu succederes; Excussit sacro de vertice Infulam, ut illi Caput supponeres; Magnæ virtutis vestigia reliquit, ut illis insisteres. Et Te, capacissimæ mentis indole, illa relegente, aurea nobis quæ ille vixerat tempora, laberentur. Labuntur hæc! eôdem ad nos, quo Tu, ad vittas passu & illa fluent, quæ extra fabulas vel ipse Saturnus invideret. Talia, utrumq; Nomen; quod se, lustralibus cum undis, Tibi infuderat, spondet; Talia, Avitum Celsissimæ Domus decus, paciscitur; talia, Tu, quantus quantus es! fortunatîs auspiciis polliceris. Quid enim geminum Tuum, scilicet THEODORI ET CASIMIRI Nomen, non secundissimum portenderet? Nec dici primum potest, absq; Munere, nec nominari alterum, absq; manipulo Jagiellonico; nec inesse tibi utrumq; absq; dono Superûm, ad messem gloriæ nostræ maturissimam. Geminum est: aut Paribus Galliæ, honore non impar, aut Cælestibus Geminis, splendore æquale. Sic utrumq; dabit argentea Lilia dextris, aut Majum advehet ad vernantiam, quam non nisi mensium Principes, Julii sequantur, & Augusti. Avitum verò decus, quid non securî adveheret? Præsidio nobis est & amori, terrori fatis, ac periculo. Ferrea sæcula, districto mucrone faciliùs discindet quàm nodum Gordium expedita

acies

acies Alexandri. Opponet ceu Parmam Persei, terrendis periculis non impar Scutum; in illo non tam Gorgonis Caput, quàm tot hostium vertices, quos, triumphali POGONIA manu, messuerat; infausta tempora formidabunt. Quidni formident? ex Patritio, ceu ex Trajano Equo, Sexcentæ erumpent insidiæ, involvendo vel universo suppares Orbi, si hic totus in fortunas nostras conspirasset. Excussô frenô concitatiori cursu, in cælum etiam saliet, solatia, auxiliares copias si terra negaverit, vel ex ipsis sideribus advecturus. Pulsabit solum, & hostem unà; non Castalis sed meliora Tagô, erumpent flumina; qualia optaret Minerva fasciis suis & natalibus cunis allusura.

Jam fluent passim pretiosa largis
- - - Tempora nimbis.

Quæ, ex Te toto, jam surgunt auspicia? totus quantus quantus es! Munus Divinum es! Talem dare superi Præsulem nobis debuerunt; ut munifici in nos, liberales in Diæcesim, dicerentur. Quæ, Marcello Veneto, cùm triumphalem subiret arcum, artifice manu elaborata Avis, lætitiæ recinuit verba: SPEI OPTIMÆ. Hæc, inter gestientis animi indicia, inter auctissima tripudia, ad publicæ etiam famæ vulgamus classicum. In Celsissimo CZARTORYSCIO Pontificem habemus spei optimæ. Unus vota omnium implere, æquare desideria, spes etiam omnium, unus poterit superare. Optabamus circumvallati undiq; tot hostium copiis, quot mentibus Calvini Lutheriq; imbutis dogmatibûs, *Principem sacrorum* dexterrimum! Optabamus *Præsulem*! qui, non minùs sceptri Gloriâ fulcire Diæcesim, quàm ferri acie, stolones ab Ecclesiæ Romanæ planta, resecare possit. Ut talem haberemus, fatigabamus Cælum precibûs, adolebamus thura, litabamus hostias. Non devota Deo ædes, non altare, non Ara fuit, quæ superos hôc votô non coleret; quæ, tanti Præsulis magis desideriô quam Ceris non arderet. Inter tot Hecatombas, inter tot sacrorum Flaminum suspiria, inter ardentis populi desideria, Tu, Mentibus obversabaris, Tu omnibus occurrebas, quasi unus Tu vota, unus omnium studia, unus implere tanti Mensuram Præsulis posses, qualem Universi à Superis poscebamus. Explerunt cumulatissimè Astra, pectoris anhelitus! feceruntq; favoris sui beneficiô, ne, nos, qui tantum Antistitem vix sperare poteramus, meliorem optare etiam non possimus. Ades enim, pro loci Opportunitate CELSISSIME PRINCEPS, & a-

 more

more munitus, & armatus ferrô! Scutum oſtentas qui tegi voluerint; armorum fulgore perſtringis pupillam, quæ odit lucem CHRISTO Juſtitiæ ſoli coævam! Huc! huc adeſte! Eccleſiæ Romanæ perduelles! vel miti ab ingenio diſcetis manſueſcere, vel à forti brachio timere flagitia. Accurritis? ad primam oculorum Herculis noſtri aciem, fremite Anthæi! proſtrati toties, à caſu ſurgentes ſemper. Trepidate Hydræ! reciſis toties capitibûs pullulantes. Certabatis hactenus Marte improbô cum Matre Eccleſia. Educebátis copias contra Religionem, quæ veſtros Majores educavit. Viſcera ferrô petebatis, quæ vos in lucem veſtris in Aboriginibus ediderunt. Eripuiſtis tot in Provinciis Religionem templis; ſacra Altaribus; piis manibus palatia, Beatis Cælitibus imagines; fidem Civibus. Ad quæ vos Erynnis ſuccenderat, excitaverat furor; ad hæc cæco impetu ex animi ſententia ruebatis! Jverunt, ſub haſtam veſtram, cæleſtes Victimæ, regulares militantis Eccleſiæ copiæ; Iverunt ſacri Flamines, Hi, radiis rotæ implicabantur, minuebantur illi capite, ſuſpendiô alii vitam terminabant. Bibiſtis Sacrum cruorem, quem ſitiebatis, martyribus ſalutem propinantes. Jam, innocui Sanguinis Helluones, jam Attilæ ideſt flagella Dei dicebamini. Fulminabat contra vos Roma! quòd Gygantes, pernitiem Jovi, cladem cælo intentantes credebat. Sed vos etſi non gemmæ (utpote pretioſo haud digni Nomine) vel inter ipſa tonitrua naſcebámini. Accensîs ad Superûm altaria cerîs, vos! dicatæ Deo animæ adurebant, ſed veluti ſalamandræ bibiſſetis indolem, ipsîs incẽdiis alebamini. Evaginato perReges *Ludovicos* Galliarũ, *Philippos* Hiſpaniarum, Cæſares *Carolos*, & Sexcentos alios, enſe; ultra Gades pellebamini, ſed veluti ſtrutiones ab ipſo ferro vires & animum ſumebatis. Trepidate nunc! pluribus Aucti ſceleribus quàm victoriis! Militanti Eccleſiæ in ſubſidium, decertanti in præſidium adeſt PRÆSUL PRINCEPS CZARTORYSCIUS! Periculum vobis inſtat! SACERRIMUS ANNIBAL in Portis Metropolitanæ Urbis Majoricæ eſt. Hôc, antiquô Religioſior; Ille, arma dedit contra Romanos, hic pro fidei Romanæ zelo, cum ſanguine etiam, daturus vitam. Reſipiſcite! Aviti POGONIÆ ungulâ proteremini, niſi in Catholicæ fidei dogma, & noſtram diſceſſeritis in ſententiam, Ferro verticem ſubdetis! niſi capita in obſequium fidei mancipaveritis. Sic CHRISTUS ad Præſulem: *compelle intrare*! Sic, Infulatus PASTOR ad CHRISTUM: *Oportet me illas adducere*! Sic

nos,

nos, utriq; gratias persolvemus, si unum *Pastorem* & unum ovile habuerimus! Habebimus! restitues nobis ANTISTES CELSISSIMUS prisca illa saluberrima tempora, in quibus fatum istud domesticum non vivebat, & quæ, virus hoc intra Regni viscera non fovebant. Fluent gemmîs pensanda momenta, si abscissa membra ad unionem & fidem reduxeris Orthodoxam.

Sed eheu ludimur! o! miseras spes mortalium! Dum Augusta nobis, ex tuo Nomine, ampla ex Avito decore, Basilica ex Te Ipso pollicemur; doloris quâdam obruimur magnitudine; quasi ideo, ad Summum spei conscenderemus fastigium; ut ad extrema luctuum laberemur. Spem omnem in Te devoravimus, & pænè mærore consumimur. Anchoram spei optimæ, quam in altum Tuæ jeceramus dignitatis, latrantes arrodunt scyllæ, confundunt Charybdes, & fluctus corrumpunt decumani. Qui turbo nos vexat? qui intempestivus Aquilo confundit, ANTISTES Modestissime inquiris? Pace tua dixero! Popularis aura est: qua Argo Sortis Tuæ, per Archipelagum Purpurarum impellitur, non alio ad clavum sedente, quàm ipso honore Palinuro

Et ecce in ipso Margine iterum in Scyllam incidimus; dum adversam Charybdim formidamus. Indignamur honori Tuo, dum applaudere debuimus dignitati. Parce tamen FAVENTISSIME PRÆSUL! Ea est Conditionis Mortalium indoles! ut quantùm amore boni, quod possidet assurgit, tantùm, timore ne illud amittat, deprimatur! Timor nos invadit! ne, tot votîs quæsitum, tantîs desideriîs expetitum, Magnô Solatiô salutatum, Majori dolore amittamus! Veremur! ne honor, vela Purpurarum explicet, ut altiùs proveharis: & Te, in promontorio spei nostræ, ostentet nobis tantùm ad irritamenta, quem, ad duratura solatia, perennem libenter haberemus. Nec Panicus timor est! qui, ut fortiùs graviùsq; in nos assurgat, haud levi nititur fundamento. Avus Tuus Celsissimus Princeps FLORIANUS CZARTORYSKI, Anno quinquagesimo Supra Millesimum Sexcentesimum, Diæcesis hujus decor, & quarto Supra quinquagesimum, mæror fuit. Trienniô tantum, faventis beneficiô Cæli oblatô gaudebamus; ut occultâ invidæ sortis potestate, ablatum per ævum & sæcula doleremus. Mutavit hic Purpuram, nos palluimus! Ad altius honorum assurrexit fastigium, nos in spe & animo cadebamus! Movit suam stationem, nos in Mar-

Celsissimus Florianus Czartoryski post Posnaniensem Infulam Præsul Cujaviensis de in Primas Regni.

Marmora obriguimus; ut perpetuò lacrymis ſudaremus Eripuerunt nobis hunc Cujavienſes vittæ; Cujavienſibus Gneſnenſes ademerunt Tæniæ. Sic certantibûs inter ſe pari Sorte Majoribûs Infulîs, nos utriq; in DUCE FLORIANO palmam porreximus triumphalem Hæc nos, Magni *Archipræſulis* terrent veſtigia; quæ, ut altiſſimâ mente comprehendere Te advertimus; ita non impari excitatiſſimæ Virtutis gloriâ preſſurum haud ambigimus. Donum DEI es THEODORE! igitur pro Superum immenſa munificentiâ pro Numinis Liberalitate, terminis claudi neſcia, non uni forte Diæceſi conferendum. Celſiſſimus POGONIA ex æquo, Majores ſibi, pro Sago, Purpurarum prætendit togas; *jus gladii*, unà cum Præſuleis Vittis ſibi vendicat. Subſcribet æquitati honor, dabit Majores trabeas, quibus pingaris, dabit altiores cruces in quibus emineas; dabit Celſiſſimas Diæceſes; Tibi ad gloriam, Provinciis aliis ad ſolatia, nobis ad invidiam. Sic metuimus futurá, qui amamus præſentia. Metuimus! non quaſi honori Tuo ANTISTES CELSISSIME adverſa, ſed quia Diæceſis noſtræ bono, univerſi gregis commodo, inimica. Veremur! ne, ut cælum olim, inter fabulas Herculem; ita veriùs TE ANNIBALEM noſtrum, altiora, ſed invida rebus noſtris, honorum ſidera eripiant. Mærore dejicimur! ne amiſſo Patre Filii, Paſtore grex, Præſule Populus, gravi doloris mole quondam ſuccumbamus.

Sed ſubſiſte tandem inconſulte mærør! ſiſte gradum livor! ut CELSISSIMO PRINCIPI Noſtro, Apoſtolorum limen, titulorum quoq; limes ſit, prætendis? PETRI clavibus Metropolitanæ Urbis Portam obſeras, ut ambigentibus *Caput Antiſtitis*, viam præcludas honoribus? Vartam objicis, ut detineas? Temeritas eſt! nunquam ſatis toto etiam hoc flumine eluenda. Niſi per affectus exceſſuum, in Celſiſſimum hunc Principem deliquiſſes, privari illô pro pæna mereris. Paſtorale, dignitatis Poſnanienſis Pedum, non terminalis Columna *Annibali* noſtro eſt, ſed Scipio, qui ad altiora præeat faſtigia. Primæ hæ violæ, Ver honorum aperient, & Centifolia explicabunt Purpurarum. Injurius Magno Antiſtiti es, ſi per Tua etiam diſpendia, Præſulis non amoves detrimenta. Igitur, nec ego moram aliquam interponam, nec Te ullo terminô definiam trabearum.

Curre per Diæceſis etiam noſtræ jacturam, quò Te, exporrecti Animi vigor, quò, ad Summa quæq; Nata Indoles, quò Majorum Tuorum invitant veſtigia. Gemma es Præ-

ſulum!

ſulum! vel ideo non uni vittæ, nec uni natâ Coronæ. Sol es Antiſtitum! dum uni radios diſpenſas Provinciæ, jam Te aliæ, non abſq; obſcuræ noctis tædio, præſtolantur. Jam non amplius peccantis in tuam dignitatem, ſed precantis induam perſonam Oratoris. Ut Limina PETRI ac PAULI, paſſu aſcendas celſiſſimo; quæ ad Majorem honorum Aram, ac Titulorum Templum; viam Tibi tritiſſimam adornabunt, exorabo! Ut veniam concedas, non citius in tuum Caput ruenti Infulæ, precabor! Ut interſtitium aliquod, in hoc Præſulei honoris gradu, ex animi tui Sententia impetrem: Diæceſis hujus pretia, & affectum erga Te, evolvam. Si evicero? Certamen meum; Victoria, triumphus, Aviti POGONIA erit, ac Sertum immortale.

Poſt emenſa itaq; meritorum ſtadia poſt attritos Conſummatæ virtutis curſus, non Capitolium (hoc enim improbô Marte, etiam certantium præmium fuerat) triumphali paſſu, Apoſtolorum Cathedram aſcende PONTIFEX SACERRIME! Pridem Sanctitati tuæ, hic honor debebatur. Eminentiſſimæ dotes, pridem hanc Provinciam merebantur. A Divo AUGUSTO Secundo, jam olim primis deſtinabaris Infulis; & vittæ, jam dudum Celſiſſimam invaderent Frontem, niſi Tua modeſtia ſubterfugeret trabeas; malletq; Poloniam implere meritis, quàm Caput Vittis. Expugnari tamen adhuc iſta poterat, implicatâ annulô manu; amandatô ad Cydaris vincula vertice; Affixô pectore Cruci Præſuleæ; niſi certantium de Tuo Capite dignitatum, diſſidia obſtitiſſent. Turmatim Convolârunt Diæceſes. Stabant veluti armata Premislai Sylva, Sacri Scipiones! Annuli, quaſi ex modio prodirent Annibalis, Militarem ſupplebant globum. Tu diſcordantium titulorum origo; Tu ſpolium, Tu præda, & poſt, Certaminis meritum; Tu unus præmium, ab omnibus ſpectabaris. Nullus annulus fuerat, qui à Tuo pollice pretium, nullus Scipio, qui à manu robur, Nullus purpurarum murex, qui à Tua verecundia colorem, nulla Infula, quæ à Tuo Capite, ſibi non poſceret eminentiam. Si STANISLAUS eſſes, ſi citra temeritatem Boleslai, dividi poſſes? pauciora numerares membra, quàm Diæceſes, à quibus poſcebaris.

In tanto inſtruentium aciem trabearum tumultu, hoc factum (quod inter diſcordantes uſuvenire ſolet) omnes à Tua unius vinci maluerunt modeſtia, ne ſingulæ à ſingulis vincerentur. Quævis Infula, in Tuam ruebat frontem, ſed quaſi non ad Verticis Tui menſuram eſſet, detru-

debatur ab alia; quodq; *Posnaniensis*, non citius Tui Capitis occupasset fastigium; ambitus; & invidia fecit aliarum. Nec terminus unquam foret jurgiorum, perpetua ansa relinqueretur Infulis, mutuò sibi aditum præpedientibûs, ne, una alteram præverteret; nisi suo Augustior nomine potentissimus AUGUSTUS TERTIUS Poloniarum Rex Avito ferro litem discinderet, & Compositô ad Majestatem vultu, Tuæ dignitati, injuriosa sopiret negotia. Coronatum Caput, in partes se Posnaniensis Vittæ inclinavit, non immeritò! prior est Vittis aliis, tempore; potior jure, ad capessenda Tua tempora censebatur! Major tunc Polonia in Comitiis Scipionem præferebat, Pastorale etiam, Provinciæ ejusdem Pedum, ut aliis palmam præriperet, æquum fuit! Adjudicavit Te, ANTISTES CELSISSIME Pontificiæ Posnaniensi dignitati; ut ex justitia fieres Præsul. Nunquam justior quàm dum sic decrevisset. Vidit minores Diæceses, Majori Poloniæ te invidere. Advertit Sacros Scipiones, aut præ doloris vehementia, aut desiderii magnitudine tremere, ac de suo dejici robore. Vidit patulô ore Infulas, Tibi, ceu nobilissimæ prædæ inhiare, perpetuum indixit silentium. Satis sibi ad gloriam reputarent, pro potestate imperavit; quod cum aliis dignitate Majoribus, tuæ fronti aptioribus Caput ambiverint Celsissimum. Primarum verò Primatialiumq; Infularum, hiantia vulnera non sanasset, nisi dixisset: se non alia conditione, Posnaniensem obtulisse; nisi ut illis aditum impetraret. Sic altô judicô, *Princeps* Justissimus fecit discrimen dignitatum, cum Tu nullum faceres meritorum.

Immortales ergo gratiæ! Cognato Divorum Sanguini! Sexcentorum Cæsarum Nepoti! Regum, Electorum, Ducumq; Genitori, Poloniarum Coronæ apici! belli paciſq; Numini, & quidquid sub Augusti continet Nomine (continet autem Summa omnia) AUGUSTO TERTIO Poloniarum Regi Potentissimo; quòd Celsissimæ CZARTORYSCIORUM Domus gloriam, desideria populi, vota Posnaniensis Infulæ, *Avito Serto* coronaverit. Certanti cum aliis de palma vittæ, Laurus est triumphalis, non uni tantùm vertici sed ad Majorem Victoriarum pompam, trophæorum apparatum, Romano Capitolio inserenda. Pro grati animi documento, quod Te Judice REGUM SERENISSIME Causa non ceciderit, Altaria tibi attolleret Diæcesis, nisi Tu cultum omnem pro innata virtute in Superos refunderes, mallesq; ab charis Tibi Polonorum pectoribus, ut populi amor imperare, quàm ab Aris ut terrestre

restre

restre Numen adorari. Talem dedisti nobis Præsulem, qualis, sive Numinis in nos benevolentiam, sive tuos favores spectemus, *Donum DEI* & Munus Superum diceretur. Vidisti Majorem Poloniam absq; Antistite, ut parem tanto Nomini dedisses Pontificem, dedisti Celsissimum. Vidisti tot circumseptam hostibus, quot reluctantis populi Romanæ fidei Capitibus, ferrô gravem obtulisti, ut bonis tutelæ, pertinacibus terrori, omnibus admirationi esset unus, mira dexteritate fecisti. Plùsne *Posnaniensis Cathedra MIECISLAO Primo, an AUGUSTO* debeat *Tertio.* dubium incertumq; est! Erexerat Ille, à fundamentis Ecclesiam; *Rex* hic, ac *Saxonum Princeps*, nullum non movit lapidem, ut talem in PRINCIPE CZARTORYSCIO donaret Cathedræ Præsulem, qui inferendo tot honoris sui templa, tot Virtutum Pantheon, si non invenisset, se uno fundasset Diæcesim.

Sed cum gratias persolvimus Regi vectigales; Tuas à Te FAVENTISSIME PRÆSUL mendicamus! Permitte, in primo quasi panegyris limine tenui elogii filô limites quæ tibi obtigit, metiri Diæcesis. Ut orbis videat an ad tui sit mensuram honoris, Encomiis efferre Cathedram, ut ad tuæ Celsitudinis Culmen emineat. Nisi enim, amplitudinem illius ostenderimus, Tuam temerariè ambiret Majestatem. Nisi laudibûs, Te etiam digna non foret, ANTISTITE Laudatissimo! Primus elogii hujus Apex, Tui honoris punctô coronabitur. Regibus utiq; ex Regnis quibus imperant gloria. Magnatibus ex terrarum, quas possident vastitate honor; Sacrorum etiam Principibus, ex Diæcesis quam regunt dignitate, laus oritur & crescit maxima.

ELOGIUM
DIÆCESIS POSNANIENSIS.

Ab antiquitate
Summa rerum Commendatio.
Diis proxima censentur,
quæ barbato tempori coæva.
Inter *Numina* Computantur,

quæ Sæcula numerant
non momenta.
Creduntur Orbis eſſe miracula;
quæ in prima planta non videntur.
Quaſi fungorum natura eſſet
unâ luce aut obſcurâ nocte naſci,
immortalis Cedri indoles
Sexcentis luſtris
in lucem publicam adoleſcere.
Ad fundandam *Diæceſis hujus* Auctoritatem
dicam ſatis:
Senio gravis eſt.
Quæcunq; alia vetuſtiſſima licet
viget in *Polonia;*
noſtrati aut *Soror*
aut *Filia*
aut *Neptis* eſt.
Matrem poſtulas?
Latium pete.
Romana eſt Eccleſia.
Ab Univerſali hâc Parente,
natam decebat
quæ niſi *Gneſnenſis* ac *Cracovienſis*
ſorte præcederent
omnium *Eccleſiarum,*
Diæcesûm omnium in *Polonia*
Ma-

Mater esset Æcumenica.
Si fastis credimus nonnullorum,
Diæcesi ac *Urbi*,
virtutes dederunt nomen,
quod aliis negarunt noxæ.
POSNA dicta
quod prima DEUM agnoverit.
O nomen optandum ab omnibus,
invidendum à singulis.
VERONA esses,
quod prima *veri* NUMINIS cultum
susceperis.
PLACENTIA,
quod præ primis *fides* tibi
Catholica arriserit.
ROMA,
in te *Superum amor* quievit,
quem sine *mora*
in sinum admisisti.
POSNA es?
hôc ipsô *Cognatarum DEO Urbium*
Compendium.
Ceu in speculo omnes in te videntur
& se mutuò *agnoscunt.*
Cathedrã MIECISLAUS fũdaverat;
parùm illi fuit Idola evertere

nisi *Ecclesias* erexisset.
Ne fides emortua in illo esset
illam tantô opere animavit
Domumq́ DEI advivum
Similem fecit *Cælesti Civitati.*
Septem alias exstruere imperavit,
hanc præ cæteris *unam*
Catholicam & Apostolicam esse voluit
dum PETRO & PAULO
dedicavit.
Romanam dicet Posteritas
iisdem assurgit *Capitibus*
sub quibus eminet *Vaticana.*
Tumulus hic quondam
Lechiæ Imperantium fuerat.
Ad PETRI naviculam
non lustrales solùm undas,
sed *Cælestem* credite *Eridanum*
in quo
Principes Regnorum Soles
condebantur.
Aliis
alibi Divos manes reponere
placuerat;
Pulchrô tamen opinor discrimine.
Corpus donant alteri *Solo*
omnes

omnes; animas committunt
PETRO, *Cathedræ hujus Tutelari*
ſub clavibus ejuſdem
Polo ſervandas.
Diæceſis amplitudinem nõ exaggero
ſed coarcto;
dum intra breves folii margines
claudo.
A Sileſia Varſaviam extenditur;
dum hanc continet,
totam *Poloniam*,
& *Lithvaniam* complectitur.
Poloni
& quidquid hoc nomine venit.
Litavi
& *Lectiſſimus ad Comitia Orbis*
POSNANIENSI PRÆSULI *Diæceſanus eſt*
Nihil adhuc innui.
Dicam
quod Caput rei eſt.
Coronati Vertices
frons prima gregis ſunt.
Alia *Ovibus* tantùm
hæc *aureo* etiam gaudet *vellere*.
Concludite
aliæ *Diæceſes illuſtriſſimæ ſunt*

ſunt aliæ *Celſiſſimæ*,
hæc ſupra alias aſſurgit
quia eſt *Sereniſſima.*
Extendi poſſunt aliæ longiùs
claudi Auguſtiùs nulla.
Audio jam
quæ Livor cogitaverat
huic objici.
Multas *Poſnanienſem PASTOREM*
habere Oves,
quæ non ſunt ex ovili.
Notæ ſunt tantùm
non *natæ* Romanæ fidei.
Catholicam Eccleſiam,
non *Matrem* agnoſcunt
ſed Novercam.
Sed nihil penſilibus Semiramidis hortis
de flore decedit,
quòd urticas habeant
evellendas tamen.
Nihil aureæ meſſi
quòd inter lolia creſcat
ad frugem meliorem.
Nihil Xerxis Platano,
quòd ſtolonibus abundet
radicitùs abradendis.

Au-

Aureo pomo vermis,
purpuræ tinea,
chalybi rubigo
familiaris eſt.
Hæc Summorum natura,
quò altiùs aſſurgant,
Majorem Umbram non fovere
ſed habere projectam.

Iſta, non ideo à me dicta exiſtima, ANTISTITUM PRUDENTISSIME quaſi Diæceſis antiquitatem, Sublimitatem Cathedræ, ignorares. Meliùs, ex tuo Capite, Orbis quantus, quantus eſt! non Diæceſis tantùm, legitur, quàm ex Mappa Univerſi. Multa oculis tot Regnorum Luſtrator ſpectaſti, plurima ex codicibus didiciſti, omnia altâ mente repoſta, arctiùs comprehendis; quàm cælum ſydera, Pyrrhi Annulus Muſas, terrarum viſcera aurum, Pelagus Uniones. Si faſti non exſtarent, Si tempus edax rerum, codices abſumeret; ſolidiùs omnia, ex Tuo diſcerentur Capite, quàm Mundi totius bibliotheca. Conſultò Antiquitatem deſcriptam volui, ut palam facerem, quòd non unius momenti, non horæ, non diei, ſed ſæculorum fueris expectatio, MAGNE ANTISTES. Arari, temporis annoſi rugis, *Diæceſis* debuit, ut illi in Te Manipulus conſurgeret CASIMIRI; qualem, jure ſibi debitum, omnes exigerent *Eccleſiæ*, poſcerent *Numina*, adorarent *Univerſi*. Debuit ſæculorum gravitate depreſſa inclinari hæc *Cathedra*, ut pro *Tuæ* dignitatis honore cecidiſſet. Magnitudinem attigi meditatò, & certum eſt Orbi; nulli Diæceſim hanc, non eſſe æqualem, plurimis Majorem, uno tantùm Te minorem; in qua, Majeſtas Tua longiùs extenditur Celſitudo altiùs eminet, veluti florum lilia Reges, inter minorem vernantiam; veluti inter ignes, Luna minores. Decora nonnulla explicui, ſed ad Majoremne illius gloriam? an ampliorem *Tui Nominis* pompam? dubium controverſumq; eſt! Non aliter enim, hunc totum apparatum, in *Te* admittis, niſi ut concha rorem, quem transformet in unionem, coronæ aut Orbis annulo, inſerendum. Non aliter gloriam acceptas, niſi ut apes ſuccum ex floribus, ſcilicet

ut ex illo mella conficiant, Ceris illustrissimis accendendis. Dicam tamen perpaucis, quæ dignitas, qui tituli ex hac trabea in *Te* defluxerunt. Narrabo fusiùs, qui honor ex *Te* Præsuleæ accesserit dignitati. Mutuò enimverò in vestra conspirastis decora. Ille dedit purpuram, *Tu* Muricem in ortu Tuo, *primis* in Polonia *syderibus* consanguineo, fecisti Serenissimis concolorem. Ille contulit Infulam, *Tu* apicem Infulæ adjecisti. Ille gravavit manum Scipione. *Tu* quasi Mydas esses, attactu effecisti aureum. Ille crucem pectori impressit, Tu hanc exaltasti, & *exaltationis Crucis Festum*, in Polonia celebre est.

Cum tanta præstare *Te* probavero, liquido constabit quod plus dederis Præsuleæ dignitati quàm acceperis. Nunc quæ Antistitis tituli fuerint studia, in officio Tibi deferendo quantùm *Tibi* inde existimationis accesserit, faventi oculo intuere.

Vix in illo Orbis Lechici theatro, confluentium undiq; populorum campo, amplissimo libertatis Polonæ Sanctuario, Imperantium Principum Regia (*Varsaviam puto*) ILLUSTRISSIMUS REVERENDISSIMUS STANISLAUS HOSIUS Antistitum Norma, Apostolici zeli Idæa, Regum deliciæ, post Consummatum, inoffenso pede, vitæ cursum; Avitam *Plantam* Astris inferret; Varii, variorum animos (ut post funera Summorum usuvenit) affectus incessêre. Alii, ceu *oves pupillæ* fleverunt *Pastorem* & tot sudatos labores *Antistitis*, non tam sub onere fatiscentis quàm ætate, et morum gravitate fessi, cum aliter non possent, lacrymarum impensìs compensabant. Alii, cum animam jam egisset, quanta vivus ageret, mente revolvere. Jam profundos in Senatu sensus memorare, jam pia in tot Diæcesibus sancita colere, jam supra justissima in Areopago Decreta attoniti hærere. Jam ingenii aciem, qua lites & nervosissimas difficultates acute discindebat mirari. Nullam tot palmarum viro in Paradiso laureolam non polliceri. Sacrorum Principi, nullum in Regno thronum non deberi. Infulatum sidus, tot illustrissimis clarum honoribus, radiis Beatorum distinguere, & lumini gloriæ invehere. Alii cur non alio quàm publicî congressûs tempore, obiverit indagare. Fuerat non nemo, qui has in Medium deprompserit.

Rex

R E X
S E N A T U S
N O B I L I T A S,
Ad Comitia confluxit
ILLUSTRISSIMO STANISLAO HOSIO
Effluxit vita;
Non poterat fato nobiliore mori.
Concilio Pontifex immortuus
Concioni Paſtor Zeloſiſſimus.
Vitam duxit ſemper Antiſtite dignã,
Mori etiam non potuit
Niſi officiô fungeretur.
STANISLAUS PRÆSUL occubuit
Convolarunt toto Orbe *Aquilæ*.
Novô miraculô
Redintegraturæ Corpus
Niſi integerrimum reperiſſent.
Dignum Senatore fatum!
Inter tot Procerum Senſus
Mortem conſultiſſimam!
Quantùm amore boni Communis æſtuaverit
Legite à cineribus;
Salutem Patriæ
Per vitæ ſuæ quærebat diſcrimina.
Vidit illam planè exſpirare
Animam ſuam inſpiravit.

Illuſtriſſimus Antecéſſor Comitiorum ruptorum tempore décéſſit Varſaviæ.

E Vi-

Vidit animorum *unionem* distractam
Ut *corpus* Reipublicæ cum *anima* Regni
Unum *constitueret*;
Impendit suam.
Comitiorum finem expectare
ægrè tulit.
Bono Civi,
Senatori optimo,
Tolerabiliùs est cum vita dissolvi;
Quàm soluta comitia tolerare.

Alii post funestum *Phœbi* hujus occasum in illa, quam deseruit, cæli parte (Diæcesim intelligo) diversam rerum faciem sperare Hi certantium inter se minorum syderum pugnas, quod in obscuro fieri Solet, expectare; Illi diem ruere, lucem mori alii, cælum planè everti ac omnia in contrarium itura metuebant. Alii Atlanti fesso & jam in publicis luctibus fosso, Herculem quærere Succedaneum, destinare purpuræ humeros, annulo manum, Caput Infulæ. Unus Curiam & Principum palatia, unus privatas mensas, unus sacras Ædes ac rostra, unus forum, linguas singulorum, ora populi, Urbis colloquia, omnium expectationem, futurus *Præsul* occupabat. Multæ Diæceses suos *Prælatos* ceu Oceanus gemmas exponere non alii quàm vacanti Annulo inserendas. Plurimæ *Canonicos* suos, ceu hortus rosas, purpuris consanguineas, offerre; ut his Aris, istis admoverentur Altaribus. Omnes, Capituli sui Vertices, sublimi probitate, non humili eruditione conspicuos erigere; ut pro Divorum radiis splendore, Antistitis Infulæ; pro lauro, Posnaniensi coronarentur Vitta. Non pauci etiam *Antistitum* oblivisci suarum Diæcesum, excutere annulos digito, calcare suas Violas, dedignari Scipiones, aspernari Sacras Tænias visi; ut unum quemq; fugientem suas trabeas, major in Posnaniensi Vitta, honor sequeretur.

Tuus vero ANTISTITUM MODESTISSIME inter tot promoventium se se arbitria, qui Sensus fuerat? Communi cum aliis obruebaris luctu, quòd ereptum Altaribus Sacerdotem, Curuli Senatorem, Cathedræ Præsulem advertisti. Crebra

bra erumpebant de pectore suspiria, sed quæ lugentis non desiderantis animi, fuerint indicia. Ad primum fatorum nuntium palluisti, sed non ideo, ut Sacrô murice pingereris. Gravi sub dolore vix non concidisti, non tamen pro fulcro scipionem prætendebas. Inter feralem cupressum cùm multi, de Violis cogitassent, cùm plurimi in purpureo colore, Tu palmas nonnisi in cælum attollere, & quia *Rubri* es observantissimus, pullâ Veste parentare extincto Præsuli statuisti. Objicientem se se Tibi Præsuleam dignitatem, nusquàm ad mentem admiseras, nisi cum vota ad Superos funderes, ut qui dignior esset vertex, indueret Sacrum diadema cui sapientissimum & Sanctissimum Caput, deberetur. Veniebant ad Te plenô agmine Principes, & ut Rex Sacrorum fieri velles, invitabant. Veniebant Senatores utq; admissâ curuli partem Curarum Reipublicæ, in Te susciperes, poscebant; Flos Nobilitatis ut violas admitteres, acclini collo precabatur. Omnes merita Tua portendere, favores Regis AUGUSTI spondere, Infulam Fronti, si Caput tantùm inclinaveris, polliceri. Admisisti innatâ Tibi humanitate, turmatim accurrentes Optimates. Admisisti multam Magnatum frequentiam, Pastorali tantùm Pedo, aditum præcludebas. Violentiam, ipsis tuis meritis faciebas, & diuturniori morâ, mereri tantùm honores optabas, non habere. Celsissimus quantumvis esses, inter concurrentes videri noluisti; Altitudines Infulatarum sedium non ambiebas, ne accessione honorum crevisse videreris. Ex adhærentibus lateri Tuo, quidam tam pertinacis Virtutis arbiter, admiratione abreptus exclamasse fertur.

Audi posteritas!
Prodigio aliquid simile!
& mirare:
Nemo testudo ad honores.
Præceps in sublimia ambitus
Mortalibus esse solet;
CELSISSIMUS PRINCEPS CZARTORYSKI,
Etiam in avito POGONIA
Ad honores testudo est.

 Age

Age pro virili
EQUES Nobilissime
Pastoralis Scipio Columnam,
Infula Coronam supplet.
Placet cum LESCONE *pedum* celeritate
Pedum definire.
Armatas galeâ aures habet,
Ne vota audiat;
Benè animatus in honores.
Cor Clypeô munit,
ne Catenæ & Cruces ruant,
in pectus Principis.
Ferrô frontem tuetur,
ne vittæ invadant Caput.
Faciliùs fortè vulnera
quàm Infulas admissurus.
Fortiùs frena Equi tenet,
ne Imperii teneat.
Ne Lesconis fraudẽ sequi videatur
eô impetu vittas fugit,
quô Ille insecutus.
Novum hoc sanè & mirabile
Infulas *mereri*,
& *morari*.
Ad trabeas *nasci*
& nolle ab ipsis *nosci*.

O!

O! quam felicia Imperia essent! Si à nolentibus regerentur.

Molestissima erat omnibus, maximè tamen honori vel mora Tua, vel modestia. Non tam acerbô sensu, fatum extincti tulit Antistitis, quàm quòd à Te sperneretur. Cogebatur rarô exemplô in campum ambitus descendere, & inter Candidatos recenseri, qui Candidatos hactenus numerabat. Jam Te occultis Cuniculis famâ scilicet propensi in Te Regis animi, rumore sublimis Cathedræ, amplæ Diœcesis, pertentabat. Jam ascensum hunc, non tam ad assentationem quàm officia compositô vultu, gradum ad altiora Infularum fastigia, asserere. Jam, cùm precando opportunè nihil; peccando importunè omnia se evicturum non desperavit. Armatus fascibûs; ovibûs, percussô fatis Pastore dispersis, collectîs in unum, ceu ariete pectori expugnando instructus adiit limina, ter Atria pulsavit Scipione; ad mitti armatîs jam precibûs, contendebat. Gravis certè honor Præsuleus, modestiæ Tuæ credi poterat, & eò periculosior, quòd Domi Tuæ jam dudum inquilinus, nisi vel ipsô contemptu à Te vinceretur. Conserere manus cum annulo, aut Scipione noluisti; exponere pectus Catenæ, Caput Infularum vinculô, temerarium putabas; Decrevisti de tanto hoste fugâ ipsa titulorum, triumphare. Quid faceret? ut audacissimus quisq; est; quem sperata sors destituit, Regiam accessit Majestatem, aurem postulavit, cui Tu Caput Vittis coronandum negasti. Indignitatem facti exposuit, quod Tu dignus tantùm haberi Infulis & non Infulas habere ambiveris. Inclementiam pectoris accusavit quod pupillum Antistitis honorem, limina poscentem non admiseris. Profani aliquid tibi appinxit, quod sacris trabeis locum non concesseris, in mentis & virtutum tuarum Sanctuario. Stetit pro Sacris trabeis, *Sacra Regia Majestas.* Animum tuum ut nec importunum honoribus accersendis audivit, nec imparem offerendis scivit, Te *Antistitem Posnaniensem*, reluctantem quantumvis, nominavit.

Et jam non erat locus fugæ, in illo Majestatis fastigio excusationi in tanta modestia. Stiparunt illicò latus Tuum Principes, ne Te honoribus subtraheres; nihil aliud, coronâ illâ, nisi Te Præsulum Gemmam, ambigente. Celsissimi Præsules, Duces invictissimi, Senatus, Proceres, lætiori solitò arriserunt vultu quasi ad universi Cæli sortem pertineret, unius Syderis accessio. Ille consanguineum, affinem Is

F te,

te, hic amicum, alius contribulem, donatum Cathedræ, mistis tripudiis dicebant, poteraſq; in omnibus purpuris videri, ante muricem trabeatus; Collegimus indè qualis futurus eſſes Epiſcopus, quem tot formabant Epiſcopi. Quales radios virtus Tua ſit habitura, cui tot aſſidui Soles, diem primam geminarunt & fecerunt parelia. Hæc ſtudia honoris fuerant, in officio Tibi deferendo deſudantis, quæ amare quidem non poteras, utpote tuæ contraria modeſtiæ, æſtimare tamen debes, utpote luctanti conſona dignitati.

Crede calamo! ſi fidem non meretur? crede publico orbis judicio, PRINCEPS CELSISSIME. Magnum hoc eſt & niſi Te unô minus, non adſcitô Minorum Infularum ſuffragiô, Poſnanienſem mereri Infulam. Non firmatô, prius greſſu in Minoribus Cathedris, in hac comparere. Non quæſitô à parvis curulibus gradu, hanc aſcendere, & in illa, parem primis eminere. Alios prius brachia Antiſtitum vidimus quàm Capita Diæceſum adoravimus. Prius Suffraganeos Præſulum quam Præſules In auxiliari manu dexteritas horum prius ſpectari debuerat, antequam lacerti, haud impares, majori Purpuræ judicati. Ad ſui Capitis pretia ab ultimis fere orbis receſſibus invitabant alii Vittas; prius in extero ſole clari, quàm in Polo Poloniæ Illuſtriſſimi. Aliis *à Minori*, nonniſi *ad majus* honoris faſtigium, *aſcenſus*; quaſi implere amplas Diæceſes non poſſent, niſi prius anguſtiis aliarum clauderentur. Alii ætate jam feſſi in hac curuli quieverunt, Canos prius in Capite quam Infulæ iſtius adepti honorem; ceu ideo illis ſcipio daretur, ut haberent decrepiti, quo ſua gravis Senectus fulciretur.

Tibi vero CELSISSIME PRÆSUL prima ſe ſtatim, Poſnanienſis Infula obtulit; ſupra minores, Caput tuum utiq; Celſiſſimum altius eminebat. Feſtinatîs itineribûs, non obſervatîs annorum gradibûs, temporumq; intervallîs, ipſa ultro ad Te tanquam ad immortale quoddam Sacrarium, Sacra properavit Vitta; veluti de nobili palma, cum aliis certatura; ut prior omnibus tantæ animæ auguſtal, ſuo occupaſſet faſtigiô. Ita quæ in aliis meritorum extrema fuerunt, in Te rudimenta ſunt, & prima tantum titulorum principia. Ita aliorum vix ſæcula ſuffecerant, huic Cathedræ, Tuì pauciores quantumvis menſes, ſatis erant: quaſi plura Tu momentô confeceris, quàm alii Sexcentis Luſtris confeciſſent. Canos tuos aliis Infulis reliquit coronandos; Poſnanienſis vitta, Tui Capitis pretia, non argentum penſabat capillorum. Accerſitîs aliunde violîs, ornatum Te hic honor

non

non ambivit. totum purpurarum Colorem in Tuos lacertos ſolus effudit, ut ab hoc unico murice Senator ſis, qui ab omnibus trabeatus eſſe merebaris. Applaude Tibi! *Præſul* dignitas! uni *Tibi*, in tanto honorum concurſu, mereri bene de *Celſiſſimo Principe* eſt conceſſum. Attigiſti votorum Tuorum ſummam in hac una fronte, faſtigium & culmen omne honoris, tenes. Fateare MAGNE ANTISTES! debes aliquid dignitati quòd ab aliis ſemper quæſita, à multis exoptata, amata ab omnibus, Te amaverit, Te unum optaverit, Te quæſiverit. Plaude! triumpha! ad alios nonniſi per longas, variarum Minorum Diæceſum ambages, per non modica temporum interſtitia cucurrit, ad Te volavit, & quòd citiùs non deſcenderit, Momentum illi quodlibet ætas, horæ ſingulæ ſæcula, videbantur.

Fateris! propenſi in Te honoris officia, ratus ingratitudinis notam illos incurrere, qui beneficium ſe accepiſſe negant, quòd acceperunt; penetras ſtudia, amas obſequia.

Sed quantis, illa compenſas gratiis! quantô ſuperas favore! vincis beneficiô? Expunxiſti munus Tibi oblatum, *Te* ipſo *Munere*. donum; majoribus gravaſti donis, Quem, pro innata Principibus generoſitate, puderet acceptæ gratiæ, ſi pigeret nondum reſtitutæ. Parum Tibi eſt *humaniſſime Præſul* computare obſequia, mente volvere ſtudioſa officia, niſi ipſa Tibi impenſa pretia, faceres obærata & certantem Gratiis honorem, Victor beneficiis ſuperares. Superaſti! invexiſti trabeæ, PRINCIPEM CZARTORYSCIUM, & jam dignitatem, *Præſulis Poſnanienſis* feciſti *Celſiſſimam*, quæ in aliis non niſi *Illuſtriſſima* dicebatur. Invexiſti in avito POGONIA, communi utiq; toti Lithavorum genti decore, magnum Ducatum Lithvaniæ, & Majoris Poloniæ plagam Te uno, ceu Summorum Provincia ampliaſti. Aſſurge! tanto Nomini, vel *Te* ipſa Auguſtior Majoris Poloniæ, *Antiſtes* dignitas! per iſtud ſtetit, quod ad altius honoris faſtigium aſcenderis. Locaſti hunc Principem in Petri Cathedra & infra hanc eſt omne ſolium. Dediſti claves; infra te cælum ipſum. Addita eſt Magna dignitas honori, non honor, tantæ dignitati. Huc collimat dictio: quantum decoris tecum acceſſerit purpuræ, quantum pretii annulo, non tam verborum phaleris exaggerare ad faſtum, quàm brevi notare punctô ad honores. Domus tuæ antiqua & nova innuam decora? argumentum rei erit in parte. Tua demum in omni campo recenſebo merita? abſolvam totum.

Injurius Celſiſſimæ Domus tuæ Majeſtati eſſem, ſi il-

Iam unius paginæ arctare angustiis contenderem; cujus facta, fastos; admiranda, annales, & orbis universi historiam; gesta, nobiles scriptorum curas, merentur imo fatigant.

Ambitus esset, ingentia decora ad unam cogere periodum, quæ totum Poloniarum orbem implent, & vix universâ contineri possunt Europâ. Temeritas esset rudi calami Officiô perstringere leviter honores, qui Ducalibus clavis *stylò ferreò*, Senatorum fascibûs, *svada Civili*, & colligatis Vestro Nomini sceptris, *Regina* notantur *Eloquentia*. Odi factum Mirmecidis! consternatos Phæbi jugales in una muscæ ala stabulari fecit, æque exaggerando artem præclaram, ac minuendo illustrem pompam. Avitum POGONIA, totus quantusquantus est! & currum gloriæ vestræ, quem ceu Tullia supra cruenta egistis discrimina, pennâ non circumscribam; quem Mavortis alæ, belli aquilæ, ambire tantùm poterant, non arctare. Non istos Angustâ complecti laborabo periodô, quorum magni cineres, ingentes tumulos; fama mundum; Divi manes cælum implent. Dabo sepultis majoribus vestris, hanc reverentiam, ut illorum parcam elogiis, qui supra soles & sydera positi, jam omnia humana despiciunt, & tantùm non pudet illos fuisse, inter mortales. Pingit se quidem Domus vestræ, ceu publici sideris Parens aurora, murice; Est suus, primo etiam fonti honor, imò puteo Corona. Est non ultimum, vel ipsis CZARTORYSCIORUM, ceu gemmarum exuviis, decus non tamen vos gemmas à conchilio, non meridianæ lucis vestræ splendorem, ab aurora; non purpurarum vestrarum flumina; à fonte laudavero. Longum enim esset, ire prolixis laudibus per singulos Majores, paucis verbis omnes in universum complectar. Gesserunt Attavi omnes honorum titulos, floruerunt sub violis, rubuerunt sub rosis, ornarunt utramq; purpuram Præsules & purpurati Patres, illustrarunt sagum & togam Senatores, Heròés & Heròûm Duces. Plena est rationum curia, quibus hanc Legati ad comitia locupletarunt, publici Themidis congressus profundissimô sensu, quem Areopago Polono Licurgi intulerunt; partem fastorum Poloniæ & Annalium Lithvaniæ; qui ignorant decora gentis vestræ. In particulari tamen delibabo tantùm ceu primis labris, Divos manes; utiq; hôc officii genere Sacra colere Lipsana Religio est.

Dux Olgerdius Celsissimæ Domus Author.

Ducem OLGERDUM GEDIMINI Lithvaniæ Principis Filium & vestræ Prosapiæ autorem dum prætereo, de genu adoro. Meretur hanc reverentiam, Caput totius Reipublicæ dici

dici poteſt, cùm eſt domus veſtræ origo. Univerſæ Pater Patriæ, dum Celſiſſimæ Genitor Proſapiæ. Faſtigium eſt *Celſiſſimæ* domus veſtræ vel ex eo Summorum apex ac Corona. Ducis CONSTANTINI KORYGEŁŁO OLGERDII Filii manes, à cineribus excitabo. Sepultus hic bellicæ virtutis ardor ſcintillat, & adhuc fervet. Capax Ille! ingenium gloriæ nactus, quæſivit illam ubi nobiles quærere ſolent. Ratus eam, armorum eſſe præmium, & vulnerum mercedem nomen dedit Bellonæ. Parum eſt dedit manus, dedit Heroici animi ſedem cor, Caput jugulo donavit, ad extremum cum nihil carius haberet, impendit & vitam. Bella bellis porrigebant Litvaniam, ex profligatis periculis, naſcebantur majora; Effuderat ſe, ceu virus in nobiles venas, in Lithvaniam VITTOLDUS, cum innumeris Crucierorum Copiis, Gens hæc Cives terrore, Urbes clade, campos libidine, Provinciam implevit rabie. In hac rerum tempeſtate, fluctuabant Litavi, Salus & fortuna Patriæ infeſto naufragio mergebatur. Actum erat! de pulcherrima Provincia, niſi tempeſtas illa in Celſiſſimum KORIGEŁŁO Exiguâ militum ſtipatum manu, & nulla re magis armatum quam ſe Ipſo, impegiſſet. Hic adverſos fluctus frangere, naufragia elidere, & contra torrentem niti. Oppoſuit ſe bene habito integro belli Corpori, manus lectiſſima, ſegeti Clypeatæ virorum, manipulus fortium; Tempeſtati armorum, belli fulmen exiguum, tantæ moli, arena Martis; pluralitati, virtus & dexteritas in Principe ſingularis. Pugnabatur per producta temporis intervalla, pari ab utrinq; pertinaciâ, magnis Crucierorum viribûs, majori Principis Virtute, Maximo miraculo. Prodigium enim erat & quoddam militaris animi portentum, quòd is KORYGEŁŁO aciem inſtruxerit, pugnaverit, certaverit; qui unicum poſſe videbatur, dare locum victoriæ non campum pugnæ. Viciſſet certè ſi arbitria bellorum, penes virtutem eſſent, non fortunam. Invidit iſta Heroicæ virtuti, nulli magis inimica utpote inconſtans, quàm CONSTANTINO; nobilem hanc prædam non in Timothei retia, quàm hoſtium caſſes impulit, cui receptis & nondum bene obvolutis vulneribus, in hiabant. Venit in manus Crucierorum, qui Corde Civium portabatur pro Patria dexterrimus obſes, unô ſe plus quàm Cleopatreis unionibûs, integritatem Lithvanæ Provinciæ redimebat. Pretia tanti viri æſtimare hoſtis neſcivit, Caput hoc, vere aureum, quo conſilia maturè; bella prudenter regebantur, amputavit. Amputatum, ac militari infixum haſtæ,

Olgerdii Filius Dux Conſtantinus Korygełło.

per classes, manipulos, exercituum mænia, circumduci jusserat, ut ostenderet verticem minatum, quo KORYGELLO hostem, utramq; belli fortunam, & sexcenta pericula superabat.

Vicit VITOLDUS
Tarquinii fastum
Majore fastu!
Hic, papaverum Capita
Ille inter Proceres Lithvaniæ primū
Messuit, CAPUT.
Minuisti perfide! Principem vertice,
auxisti gloriâ.
Gloriosum est
integritatem Patriæ,
per sua tueri discrimina.
Citra *Minervæ* Commentum
ex hoc vulnere nata,
crevit in Posteris,
in seris adolescet nepotibus.
Quid sublata hac fronte ademeris?
vide!
Bonæ mentis sedem,
Consilii arcem,
Dignitatis apicem,
Sapientiæ domicilium.
Quàm malè!
tanti Capitis Supplicio Tibi Consulueris?
Audi!

Diu

Diu ſtetit, Cadente Capite KORYGEŁŁO,
Sic truncus trophæum ſibi
Sublimi ſtrage tandem cecidit,
ſed jacens, terrori eſt
Per rimas, vulneris
proſpectat Heros animus,
Ignea vis
tanquam ex Servii capite erumpit,
hâc mentis face
Te hydram adurit,
Nondum benè extinctus Hercules
Laudanda tamen in hoſte virtus
Amputatam cervicem,
ſemper meditantem fortia,
Militari haſtæ inponit,
Sic *effert* caput
non *aufert.*
Circumtuliſti hanc *frontem*
per Caſtra *Vitolde?*
benè
Latio adhuc infer
Me hercle
Caput hoc
Romano dignum *Capitolio.*

Jacturam tanti capitis memoravi, pudore dum hoc tabô ſuada ſuffunditur. Pudet in tanto Domûs veſtræ diſcrimine, in tanto Patriæ luctu, fuiſſe diſertum. Involvi ſilentiô vulnus hoc debuerat, ne ſanguis iterum bulliat ad

dolores Provinciarum & Familiæ veſtræ renovandos. Sed vos per belli claſſica non niſi celebrari, per capita in campo ſparſa ſcribi, & laudari per vulnerum inciſa ambigitis. Non abſtinebo igitur adhuc à luctibus; non licet quidem publicam ingreſsûs Tui diem qua Civium animos, & ex hauſti deſiderio gregis vota ſerenaſti, Atra fatorum tempeſtate corrumpere; nec æquũ ægrè obductam cicatricem ad exaggerati mæroris moleſtias reſtaurare; Sed quia erigunt ſe è tumulis immortali coronata ſerto, redimita laurô Domûs veſtræ capita & Heroe clava ac aſperatâ fronte minas intentare videntur, ne gloriosô ſepultos cinere, officiosô intermittam cultu, Divis defero Manibus, quos faſtorum ferendos memoria Lacheſis ad ſaxum, ad tumulum & Patriæ luctum immite fatum detulit.

Chleb Princeps Czartoryſki Cōſtātini Filius.

Umbris Principis CHLEB CZARTORYSKI Filii CONSTANTINI KORIGEŁŁO Feſta dies ſit ſimplex Heroici facti illius Commemoratio. Premebat ille ad Vilnam infeſtas Vitoldi acies graviter; Crucierorum, crux maxima. Expedivit ferrum, tela telis oppoſuit, globorum grandinem & fulmina ceu Tonans in Gigantes miſerat. Ad extremum cum aliter non poſſet, ferociam adverſi Militis cadendo, ſui corporis obruit magnitudine. Inſequendo hoſtem diſceſſit è vita, forte fugaces Crucieros ad inferos, uſq; impulſurus, aut palmas numeraturus perrexit, quas dudum aſtris præmiſerat. ALEXANDRI JOANNIS MICHAELIS Ducum de CZARTORYSKO cum volumina non poſſent hoc punctum laudi ſufficiat. Quos Lucina Parens Principes Sanguinis edidit, hos VLADISLAUS *Poloniæ & Hungariæ REX Fratres* ſuos publicô *Budæ* datô edictô vulgavit. Fratrem Regis eſſe, dignitatem expreſſam ambigitis? hoc eſt ſupra vulgus attolli! hoc omne titulorum ac honorum faſtigium infra ſe habere! hoc eſt ſupra id quidquid in Regno magnum, in Republica Auguſtum, in Provinciis baſilicum eminere. Celſitudinem Proſapiæ veſtræ Principes CZARTORYSCI vel ex eo penſate, parum eſt penſa Polonia & univerſa qua latè pates Europa Sanguis ille quo vivunt ex venis Regalibus eſt, ad illos per ſceptra defluxit, & ſceptrô dignus qui intra hos eſt. JOANNI & ALEXANDRO negarunt aſtra ſobolem, forte totum publico Patriæ commodo impenderunt ſanguinem non proli, maluerunt *Patres Patriæ* dici quàm *Filiorum*. MICHAELE Braclavienſi Capitaneo editus in lucem THEODORUS & elogio ſufficit natus Stillicho. Talem prolem in hoc; Patriæ dedit, ut

Alexander Joannes Michàël Filii Conſtantini Korygełło.

Theodorus Dux Michàëlis Filius.

non

non aliam Mars ipſe genuiſſet. *Theodoro* enim *Capitaneo Luceorienſi* omnis annus *Militaris*, omnis dies *Martius* & omnis menſis *Auguſtus* fuit, ideſt laurearum & meſsis gloriæ feraciſſimus. Militem, quem coluit antiquitas, qui vires Galeis attrivit, quievit inter trophæa, mente volvat poſteritas, parem huic votô non effinget quem ipſa effinxit fortitudo. Si metempſihoſi daretur locus, Ajacis aut Agamemnonis anima in hoc tranſmigraſſe corpus crederetur. Auſa eſt Vołhiniã, Podoliamq; armis appetere Tartaria, cæde cruentare manus, ſtrage Ruſſiam. Excepit intra domeſticos lares ut hoſtem non hoſpitem THEODORUS. *Cædebat* multiplicatô ictu donec *cederet*, animas è corpore expellebat donec exirent. Si penes mortuos ejus terræ quam occupant Dominium eſſet, Tartari totam Volhiniam Podoliamq; poſſiderent mortui, quam non poſſederunt vivi. Cùm ab armorum peritia, dexteritate in agendo, felicitate in proſperis, conſtantia in adverſis, *Philippi Macedonis* nomen & gloriam mereretur, ex hoc uno complexus, quod filium Patriæ dediſſet ALEXANDRUM. Par in hoc, major in altero, quod auxiſſet etiam Natô ſecundô JOANNE, illô aucturus Gratiarum nomen niſi fabulam olerent. ALEXANDER Palatinus Vołhiniæ heroicæ virtutis, Paternarum virtutum æmulus & laurearum Hæres. Ad bellum haud gravatè animum adjecit, quòd talem à Patre accepiſſet, Audivit toties magna in armis egiſſe Parentem, cum magno tamen Macedone doluit nunquam; quod perſpectum haberet; majora ſibi evaginatô enſe præſtanda ſuppetere, quam Maximi Majores præſtitiſſent. Satis illi erat ad eviſcerati amoris erga Patriam documentum, ſatis ad victoriæ pompam quòd tot cervices in acie ponere coactus fuerit furor Tauricanus, in quot ille ictus aſſurrexiſſet; parùm ad gloriæ apparatum; ultra Sexagenas Leucas extra Patriam hoſtem inſecutus, triumphali paſſu attrivit, innumera detraxit ſpolia, Caput Imbraimo Paſſæ dejecit, vicit barbarorum audaciam, quanquam auſus iſte niſi viciſſet; temeritas potius diceretur. O avidum ferri animum! non tam ſoli Aviti dulcedine, quàm ſolâ gloriæ ſiti teneri. O majores quôvis diſcrimine ſpiritus! quis ille pugnandi ardor, quærere hoſtem quem feriat, quæ audacia! currere ultra Patriam ut pro Patria vincat, quæ celeritas! opprimere hoſtem cum ſexcentis leucis abeſſe illum putat. Sic currunt planetæ & Sidera, ſic decidit ex äere fulmen, & dum adhuc in nube tonat jam terras verberat. Poſt tot heroicè geſta non illatus eſt Curuli Sena-

Alexander Dux Palatinus Vołhyniæ Theodori Filius.

H toriæ,

toriæ, ſed per ipſa provectus pericula, non prius enim *diſſerebat* in curia quam manus *conſereret* in arena, Senator non *à murice* quam fuſo hoſtium *cruore* trabeatus. Audite primum illius in ſenatu votum: Teſtor; idcirco me purpuratum apparere, ut tuear Patriam; Obſignaſſem illam libenter etiam meo ſanguine; & maluiſſem hâc ſecundâ purpurâ rubere quàm primâ. Expreſſerat ille noxium Patriæ ſanguinem per vim Tartaris, impreſſit Filio MICHAELI *Capitaneo Zytomirienſi* Generoſum; deditq; vitam ut Pater, præcepta fortitudinis ut Magiſter, exempla ut bellorum arbiter. Tranſumpſit Ideam filius & imago Patris creditus, eam indolem ad omnia virtutis facinora præferebat, ut ſuus Pater; dubium relinquendo an differret indoles à natura. Idem fere & alius à Patre fuerat, eadem illi dexteritas, fortitudo eadem, idem in bellis animus, fama erat deſultaſſe Patrem in Filium & tam grandem Genitoris animam unô non contentam corpore, gemina impleviſſe. Non impar ceu Caſtor Polluci ALEXANDRO Frater Celſiſſimus JOANNES Dux in Klevań CZARTORYSKI, Equidem illi ad protenſæ magnitudinis menſuram unus *Litvaniæ* Orbis non ſuffecit, quæſivit alium & invenit *Poloniam*; utq; utrumq; arctiùs complecteretur ex gemino fecit unum. Gloriæ ſit aliis quod adverſas hoſtium acies; Illi honoris Summa, quod fædus percuſſerit inter gentes; & majus eſt diverſas redintegrare partes, ut unum conſtituant; quàm ſecare plures ut totum pereat. Si nihil egiſſet clarum, hoc uno facinore implevit omnia. Vertit hæreditaria odia in perpetuos amores, perennem belli fomitem, in æſtus concordiæ: Fecitq; ut *Aquila* fulmine tueretur Lithvaniam, & *Pogonia* ferro Lechiam defenderet. *Unio* eſt Regnorum par *Orbis Annulo*, *pars* magna utriuſq; Provinciæ, quam unam *conſtituit*. Pro firmatis nexu Provinciis geminam Illi Prolem, ad domus veſtræ ſplendorem ceu unum ſidus dederunt aſtra. JOANNEM ſcilicet & ANDREAM. In una hac gemini ſpirant laudum periodo; ut brevis encomii nexus, æque unanimes fateatur ac Fratres laudat. Illuxerunt hi ad utriuſq; orbis quanquam jam uniti auctiſſima ſolatia. Amavit primũ Polonia, alterum ſpectavit Lithvania, & tam nobiliſſimum par Fratrum nec Argi oſtendent nec Athenæ. Eadem illis ad Summa quæq; contentio, idem juvandi Patriam in arduis animus, hoſtilis veſaniæ tantùm in utroq; odium, ut ſi alterius ſanguine extinguendus eſſet furor barbariæ; hoc ſolum inter eos fuiſſet diſſidium, qui prior hunc funderet. Diviſerunt

Michaël Dux Capitaneus Zytomirienſis Alexandri Filius.

Ad unionẽ M.D.Lithvaniæ cum RegnoPoloniæ multum cõtulit.

Celſiſſimi Joannes & Andreas Filii Celſiſſimi Alexandri.

erunt tamen inter ſe Provinciam; primus chalybe vincebat terras, alter aurô oppugnabat Cælum, æquè uterq; prodigus ac liberalis, ſive ille hoſtem deleret; ſive iſte nummos à ſe proſcriberet. JOANNES non nuda *vox clamantis*, ſed tonitru gentium, hoſtium fulmen, & ſemper claſſicum militare; Stephano Batorio corona in omni prælio triumphalis. Vincebat ille ſeptemtrionem, triumphabat Rex; ſub jugum cogebat populos, Imperio ſubdebat Civitates. Brevi hôc unô virô debellaret Europam Batoreus, ac orbem metiretur Stephanus, niſi illi Atropos vitæ filum præcidiſſet. ANDREAS Aras Deo, altaria pietati, ſibi immortalis famæ monumenta erigebat. Klevani templum à fundamantis excitavit, plura ſe ipſo effecit, ubicunq; eſſet. Hæc enim in illo relucebat religio, tantus de vultu promicabat virtutis honor, ut non tam templorum, quàm probitatis Fundator diceretur. Magnitudinis illius vel è Paterno ſinu menſuram liceat ſumere; egenos, pauperes, Athenarum Alumnos, Cætus ſacros, præſertim verò *Societatem JESU*, gremiô ſuô excepit; exceptam, beatam fecit, & ſuis beneficiis obæratam. Liberalitatis hoc, & munificentiæ prodigium, aureū in terras fudit NICOLAUM. Hic ille eſt Proavus tuus Palatinus Volhyniæ, quem niſi cunæ dediſſent aureum, ſvadæ pretia cum Legatum in publicis ageret Comitiis; pondus libræ, cum Tribunali aſſideret, feciſſent Orbi Aurelianum. Ita tamen ille aureus, ut à ferro etiam grandem Heroicæ magnitudinis cenſum ſumeret; cujus tanta apud illum æſtimatio fuerat; quanta apud Indos. *Valachiæ* viſcera, cum Turcas Moldavoſq; quæreret, tamdiu ſecabat enſe, donec illum reciperent. In *Livonia*; cum Leonem Sveciæ Hercules proſterneret, acri certabat pertinacia. Verba dedit ad ſuos Dux ſtrenuiſſimus, verbera & globos mittebat ad hoſtem. Pugnabat manu, fulminabat oculis, inſtabat triumphali plantâ, erigebat ad fortia militum animos armatô ingeniô, accendebat æſtu pectoris calentiſſimô, puto nervos etiam ſuos arcubus ſuffecturus; ut totus quantus quantus eſſet feriret hoſtem. Si alii deeſſent in Senatu; tantùm integritatis & ſalutis, ab hoc uno Palatino, habuiſſet Patria, quantùm à duodecim illis Regni quondam initia, ſumpſerunt detrimenti.

Celſiſſimus Nicolaus Palatinus Volhyniæ Filius Celſiſſimi Andreæ

Sed quo à Te MECÆNAS CELSISSIME abivi? quamdiu à tui honoris deflectens puncto, non per unum Mitrarum Domus Tuæ vagabor Orbem? Quamdiu per vaſtum Senatorii Sanguinis jactabor mare? Quamdiu populari CZARTORYSCIORUM auræ, vela pandam? Abivit à Te Orati-

onis lumen, non aliter tamen, quàm radius à Phæbo cui inhæret. Sudor desudantis svadæ, non aliter quàm à purpureo mari flumina ut ad Te iterum redeant Oceanum. Redibunt utiq; omni expectatione velociùs. Tacebo Celsissimum MICHAELEM CZARTORYSKI Palatinum Sandomiriensem & JOANNEM CAROLUM Succamerarium Cracoviensem, prior Angeli nactus indolem, nec videri vult in penna, nec tangi potest stylô absq; injuria virtutis. Cum fascibus Palatinatus Sandomiriensis, stellarum assumpsit gloriam; igitur quò altiùs assurgit, credi vult orbe quid periodo? major esse, non videri. Ampliavit recuperatis facundiâ oristot à Moscho Provinciis *Lechiam*; Regnum poterat hôc ore mereri non vilem encomii Palæstram. Elucescet adhuc tanti Viri magnitudo, dum in Celsissimo Castellano Vilnensi & vobis Triariis Fratribus laudabitur; illic Pater in Filio, hic Avus in nepotibus. Alter SUCCAMERARIUS scribi in folio dedignatur qui legi in purpura recusavit. In monte Palatino dum illis Fasces Cracovienses offerrentur, pertinaci honorum fugâ apparere noluit, in arena literaria digito monstrari contemptui duceret. Eminet satis in Filio Celsissimo JOSEPHO CZARTORYSKI Vexillifero M.D.L. Et laudatur in Nepote Celsissimo STANISLAO, qui altô hic involvuntur silentio ut illis vel ex eo profundior fiat veneratio. In uno hic tantùm Avo Tuo scilicet Celsissimo Principe FLORIANO CZARTORYSKI. *Primate Regni* tanquam in Ceris hæret calamus. Prototipon est tuorum in Patria meritorum. Exemplar, Idea, cui Te in omnibus conformares. Ultro honor illum in hoc locasse creditur sub sellio, ut haberes quem dotibus præcurreres, titulis sequereris. Brevi hunc attingam elogio. *Breve* hoc etiam *Pontificum* erit.

Celsissimus Florianus Czartoryski Primas Regni ac M. D. L. Avus Celsissimi Præsulis.

Plinii Trajanos
Theodosios *Paccati*
Ausonii Gratianos laudaverint.
Celsissimus FLORIANUS CZARTORYSKI
A PONTIFICIBUS,
REGIBUS,
laudari promeruit

Enco-

Encomii illius *punctum*,
Regale *pomum*;
Membrum, *manus* Regia;
oratio, Vaticanum *oraculum*.
JOANNES CASIMIRUS
ad INNOCENTIUM X. dedit
Genere, *probitate*
eruditione clarum Principem
Superaddidit INNOCENTIUS
radium luci illimem;
& fecit
in ſenatu Illuſtriſſimum.
URBANUS Octavus
eâ Romæ excepit humanitate,
quâ ſolet *Pater Filium*,
Sanctiſſimus Virtutem,
Orbis *Caput* acre *ingenium*.
TalePrincipis eſſe credebatur& fuit
Ad Tiberim Theologiæ navavit operam;
non tam diſcere
quàm meminiſſe;
Non acquirere ſcientias,
ſed innatas habere viſus.
In Collegio Romano,
JOANNEM LUGONEM
nactus Magiſtrum.

Parùm tamen gratiæ,
naturæ *multum*,
ſibi *omnia* debuit.
Pinxerat ſe rubore de LUGO
ante purpuram,
quòd talem doceret,
à quo doceri debuiſſet.
Publica Academiarum Theſis fuit
Apud *Hiſpanos* reverentiam;
apud *Gallos* applauſum merebatur.
Nati ſub calente ſole *Itali*,
illam excitati ingenii optabant flammam,
quam huic frigidior dedit *Septemtrio*
Tantam frontem Doctoralis ambivit laurea,
& cinxit.
Hôc pactô,
ut Qui palmam omnibus præripuit,
raperet etiam Infulas ante omnes.
Rediit ſub lauro ab extero Sole
ne tantus ardor candori officeret.
Extemplò *redimitam frontem*
amarunt *Proceres infulati*
æſtimarunt *Capita coronata.*
Canonicus Cracovienſis factus primò;
ut *jure Canonico* poſſideret brevi Infulas.
Quanta hic Apoſtolici zeli prodigia!
quantus inter altaria

Divini

Divini amoris ardor!
A Sacris perorabat exedris,
detonabat à pulpitis.
Nulla fuit *Virtus* quam non doceret,
nullum vitium quod non argueret.
Tanta *Sapientia!*
ut ab illa omnes *Sapere* poſſent,
ſi omnes *ſapere* vellent.
Viderunt *Reges in exedris*,
ſtatuerunt in *Cathedris.*
Obtulerunt *Poſnanienſem* vittam,
hæc erat menſura capitis.
Imparem adverterunt?
Suppoſuerunt *Cujavienſem.*
Addiderunt inſuper *Primatialem*
Mutarũt toties ut æqualẽ invenirẽt,
numero Compenſarunt;
Magnitudine id præſtare nõ poterãt
Sanè Intererat felicitati publicæ
ut multis hunc fulciret Scipionibus,
Ipſe grande fuit Fulcrum Columenq; Regni.
Exhauſtis tot dignitatum faſtigiis
Non habuit honor quid adjiceret præterGalerum.
Quanquam creſcere amplius non potuit,
qui rerum humanarum apicem exceſſit.
Adjecit ille plura honori, quia *Sanctimoniam*,
Virtutes omnes infulatas reddidit,

quas habuit ſuas.
Prudentiam quæris?
fuit bifronte *Jano* circumſpectior;
Oculatior *Argô* centoculô.
Ita ſe ſuaq; omnia circumſpexit,
Velut omnia temporum
ac ætatum diſcrimina prævidiſſet.
Clementiam?
Ad veniam promptior fuit quàm ad pænam.
Cum addictus eſſe non potuit ſceleribus,
Adhuc mitis eſſe voluit ſceleratis.
Liberalitatem?
Titum alterum dixiſſes,
ſi primus in illa tempora incidiſſet.
Fortitudinem infractam?
Nexũ Swiderſcianũ ceu nodũGordiũ
acri ingeniô diſcidit,
& rebelles *liberos* Matri *liberæ* ſubjugavit.
Pietatem?
In *Claro monte*
ergaBEATISSIMAM fulſit liberalis
niſi *Thaumaturgum* locum reperiſſet,
Feciſſet ſuis favoribus *Gratioſum.*
Amorem Sacrorum cætuum?
ut multos prætercam?
Societatem JESU fovit tenerrimè
Sci-

Scivit Lojolano palatui arridere libros
ſapere volumina?
Bibliothecam *Ravæ* tranſcripſit.
Ut majorem probaret affectum,
Domui Probationis
MARIÆ *Majoris* imaginem,
quam unice dilexerat impertiit.
Quantus Principis, amor!
omnia nos habere voluit per MARIAM.
Dedit vivus *Societati manum* liberalẽ
Poſt fata etiam pios *manes Varſaviæ* obtulit.
æquè *à manu* aurea fuimus *divites*,
ac ab optimis *manibus*
poſt *mortem pretioſam opimi.*
Adjecit *Virtutibus Sapientiam*
patuit hæc cum *diceret*,
enituit cum *ſcriberet*,
eminebat dum *ſcribenda ageret*;
Electa Divi Auguſtini conſcripſit,
æque rotare *Pedum* gnarus,
ac *pennam.*
Singulæ in libro voces,
totidem ſunt gemmæ;
Legentium coronæ,
aut auribus audientium inſerendæ
Extinctô Principe, liber hic in lucem editus,
Extinctum Principem in lucem edidit.

Quot literæ
tot ſunt immortales
vitæ laudatiſſimæ characteres.
quot libri capita
tot poſt fata gloriæ monumenta.

Conſultò leviori quaſi brachiô, magni Primatis famam attigi, celeriori pennâ Antenatorum geſta percurri, ut quantocius per laudum compendia, & ſumma gloriæ illorum diſpendia; in campum elogiorum tuorum deſcenderem, præſentis ævi Ornamentum, elapſi Exemplar, vivum antiquæ probitatis priſciq; candoris Simulacrum Celſiſſime CASIMIRE CZARTORYSKI *Caſtellane Vilnenſis*, à Celſiſſima Filiorum ſtirpe Genitor *ter optime*; imò omni numero abſolutiſſime. Habent quod in Te mirentur, conſcripti Patres Patriæ, alii ardentiſſimam in ſuperos pietatem, defecatam in conſiliis prudentiam alii, hi candidiſſimam & gemmeô dignam ſæculo morum ſvavitatem, illi in matura ætate indefeſſa obſequendi Patriæ ſtudia, alii quod in ſupremo dignitatis faſtigio vivas ſine faſtu; in grandævo ſæculo ſine onere. Habent quod plurimi gratulentur; perpetuos Regum Sereniſſimorum favores; ætatem primis in Regno parem imo majorem ſubſeliis; collatos præcipuos & quaſi longô ex ordine Faſces. Quod *Pocillatoris* M. D. L. primum munus, ita obiveris, ut guſtui arrideres; ſitimq; Tui accenderes. *Procancellarii Lithvaniæ* annullum rotaveris; ut omnem agendi ſpheram exceder es *Legati* ad comitia Provinciam ſuſtinueris, ut ſive pro ſago ſive pro Toga diceres, aureum publicì congreſsûs votum eſſes. Quod *Senatorem* nunc agas, qualem vicina Regibus poſcit dignitas Principes Regni ſperabant, Reipublicæ poſtulabat integritas. Habent jam omnes quod inter privatos plauſus, inter publicas etiam acclamationes, invideant. Multis, etſi honor omnem trabearum colorem infuderit; fortuna opum apparatum erogaverit, aſtra nihil dediſſe creduntur; quod Prolem negaverint. Quaſi unicus faſtigii titulorum apex eſſet, Filius corona Patris. Unica fortunæ blandientis orbita, ſi nativitatis rotâ ſoboles veniat Orbi & orbo Genitori ad Solatia. Multorum magnæ quantumvis *mentes amentes* gignunt. Spem ſuam & vota Patriæ *conficiunt*; dum *concipiunt*; unôq; momentô degenerem animam ignominiæ exponentes, *vitam* Proli largiun-

Celſiſſimus Caſimirus Caſtellanus Vilnenſis Pater Præſulis Celſiſſimi.

giuntur & *mortem* Familiæ. Heu quantæ Parentum *notæ* natorum *noxæ* dum bonis ſtirpibus agnaſcuntur ſtolones, & Filii prodeunt ita illis concolores; ut Umbra ſoli, fumus igni.

Plurimis etſi Lucina faverit, repoſueritq; prolem intra cunabula, non *faſciis* tantùm, ſed *faſcibus*, non *Cunis* ſed *Coronis* dignam; invidit ſortem ineluctabilis fatorum neceſſitas; quæ ſupremum clauſuris diem, *ſperare* tantùm ex tenera ætate futura permittit ſolatia, non *ſpectare* in adulto corpore præſentia. Tibi vero CELSISSIME CASTELLANE nihil faventes ſubtraxerunt ſuperi, nihil negarunt ſidera, unde per omnia Pater eſſes fortunatus. Gaudes liberalis cæli beneficiô liberis refertiſſimis; in quibus novum ordiris ævum Parentum ſæculo noſtro feliciſſime (addam) etiam beatiſſime. Gaudes liberis ſed optimis. Omnes in Paternæ pretia famæ creverunt; Provinciarum, Regnorum ac Religionis gemmæ. Singuli enim aut Præſules, aut Senatores, aut Miniſtri ſtatus, aut terreſtris Cæli ſidera ſunt; id eſt ſinguli Patriæ fulcra, Reipublicæ Columina, Senatui Scipiones, Altaribus decora, unaq; domus Tua rebus publicis privatiſq; aris & focis capax ſufficere. In ſæculo quaternio eſt omni Numero abſolutiſſimus. Singuli ceu totidē Cardinales inclytæ domus virtutes. In *Sacro Divi Saleſii cætu* manet unitas; & hæc poſtpoſitâ multiplici fortunæ orbitâ, pretium meretur magnum & facit Religioni Summum. Etſi immortalitas meritorum tuorum faceret, ne mori poſſes; præſtabit tanta proles, ne unquam nobis occidas, Eminebis etiam poſt ſera fata Celſiſſimus, implebis curiam, faſcibus & tuo in liberis ſangvine attolles infulas, pinges purpuras, rotabis annulos, beabis Regnum liberum. Quam auſpicato Conjugium Tibi ceſſit cum Illuſtriſſima ISABELLA de MORSZTYNIIS *Theſaurarii Regni Filia* omne pretium virtute ſua excedente Proles hæc docet; quæ certe ſi honor fortunæ nuberet, non alia naſceretur. Docet quantus probitatis veſtræ cenſus eſt, cum tam boni educi non poſſint niſi ex optimis Parentibus. Docet Hymenæi veſtri tædas fumo carere, quæ tot Illuſtriſſimis accenſis Ceris mundo geminarunt meridiem vix ipsô ſole non extinctô. Meretur hic præclara Soboles lucem ad tui nominis ſplendorem & ut Celſiſſimi Præſulis noſtri ceu ſidera ſideri magnis affulgeant honoribus. Primus Celſiſſimus FRIDERICUS MICHAEL Nuper Caſtellanus Vilnenſis nunc Procancellarius M.D.L. ut naſcendi ſorte ita omni major elogio. Senatoris exuit trabeam, purpuram excuſ- Celſiſſimus Fridericus Michaël Pro Cancellarius M.D.L. Frater Celſiſſimi.

 ſit,

ſit, paratus ſemper & Corporis exuvias ut expeditiorem ad publica totius Provinciæ Lithvanæ in ſuo Miniſterio animum præſeferat. Majorem titulum dedignatus; quæſivit ubi plus ſit de obſequio, quam honore; tantùm ſe aſcendiſſe arbitratus, quantum ſe ad obſequendi Studium & Officia demiſerit. Implevit tanti FILII Curulim Celſiſſimus GENITOR; Procancellarii Genitoris annulum induit Filius maximus; cum ad Menſuram utriuſq; mutata honorum incidiſſent inſignia? Certum laudis utriuſq; argumentum: quod Filius Patrem Virtute æquaverit, & quod Pater, Filium genuerit ſibi æqualem. Diſſerit nunc in Senatu CELSISSIMUS CASTELLANUS; & amatur in Patre *Filius*; loquitur à Regis latere Celſiſſimus Procancellarius; & in Filio adoratur *Pater.* Sic cum nullum inter illos diſcrimen intercedit; dubitatur plerumq; uter ſol, aut imago ſit Solis. Satis credo eſſet ad inſtructum encomii illius apparatum, quòd Patris magnitudinem attigerit. Satis quod diviſum cum Illo tenuerit Imperium, quod Illi per omnia ſit ſimillimus ut Phænix Phænici, Leo Regi animalium, Unio gemmæ; Niſi illud pigeret præterire quod ſit Regiæ vicinus Majeſtati ut lateri cor, Regio ori vox publica, Apollini Sereniſſimo oraculum, mens capiti Coronato. Adlegerunt ſibi hunc Reges Auguſti Procancellarium, ut illâ loquerentur linguâ, quâ ſe non meminit locutam Romana eloquentia; Donarunt annulô, qui non Regnum ſed orbem etiam poterat hoc ore mereri. Minus egiſſetis veſtro nomine Auguſti Principes, ſi ad altiores trabeas invitaſſetis & primis invexiſſetis curulibus Principem hunc CZARTORYSCIUM Nullibi enim felicius Magni Ducatus Ceræ hoſpitari poſſunt, quàm in mellei ſinu Oratoris. Ex nulla officina meliora prodire poterant beneficia, quàm ab hac manu quæ concitatiori expeditione & præter ipſam ſpem expectantium, hoc facit, ut bis conferre honores videremini. Ex collato munere huic Viro dexterrimo potentiſſimi eſtis; diſcunt enim ab illius gemma pallere flagitia, diſcunt ab annulo timere vincula noxæ, diſcit quiſq; temerarius ab impreſſo Ceris POGONIA formidare ferrum. Plura decora ac pretioſiſſimas dotes tanti Viri, quæ ſub ſigillo tenet Patria, ſileo; cum illa nec pagina ferre, nec ego pro dignitate fari poſſum. Secundi AUGUSTI & ALEXANDRI Celſiſſimi Generalis Terrarum Ruſſiæ Palatini, vel ex primis magnitudinem evolvo faſciis; cum Indigetes Divi creſcere, ampliari ac mereri ſub claſſico ſtipendia debuerant, ut pro illius cunarum cecidiſ-

Celſiſſimus Auguſtus Alexander Palatinus Ruſſiæ Frater 2dus.

cecidissent Majestate. Quod Regibus, idem Illi Infanti adhuc nomen obtulit Sors nascendi fortunata, ut vel chariorem regnaturis redderet Principibus, vel illico cum lacte ad sceptra & Coronas ostenderet candidatum. Superaddidit ALEXANDRI quod pro *Bucephalo* avitum *Pogonia* insedisse adverterit adjecitq; cum *Philippo Macedone* ut alium sibi Orbem quærat, cum illum Magnus licèt Lithvaniæ Ducatus capere non poterit. Ivit in Regnum Poloniæ illudq; nunc implevit honore, quod ante meritis & virtute superavit. Quid enim aliud faceret? cum publicis interesset congressibus, cum Regum adhæreret lateri ceu vellus aureum, cum coronæ jungeretur Magnatum ceu unio animorum, quid cum Generalem Majorem egisset in exercitu? Intererat Consultissimis sive Grodnæ sive Varsaviæ Comitiis notabat Sancita, excipiebat profundissimos sensus, laudabat illimem in aliis facundiam, ipse oraculum, Ipse Civilis suada, Ipse votum maximum purpurarum. Immiscebat se purpuratis Patribus verecundia cum adhuc junior esset trabeatus; Alius morum gravitatem, prudentiam alius defecatam, alius moderationem maturissimis invidendam mirabatur, Hic purpuram cedebat, cedebat alter curulim, alius fasces suos illi offerebat, quod dignus jam tunc fuisset togâ cum vix prætextam exueret; Adhæserat throno ceu radius Phæbo, adverterat Serenissimus AUGUSTUS II. ad Summa quæquè natam indolem & primis in Polonia purpuris declarabat. Generalis major informabat Corpus belli ceu Heroum anima, instruebat aciem ceu Gradivus, hostem profligare docebat ceu Mavors, & tot Heroicè gestis vim quandam præmiatrici Virtutum Patriæ inferebat. Vicit sane dexteritate in agendo omne præmium, cumq; oblatum sibi Palatinatus Russiæ præmium admiserit, tantùm accepit quantùm potuit; non quantùm debuit. Superstant tamen terni Leoburgici Montes & ad numerosiorem meritorum mercedem majora & unum ex alio Augustius pollicentur illi honoris fastigium. Filia verò Celsissimi Castellani, & Soror tua Præsul Sacerrime, Celsissima CONSTANTIA, vel ideo secunda Poloniæ Bona quod unica Constans laudes excedit & habet. Blancas Galliæ, Rosimundas Italiæ, Romanas Cornelias quemadmodum temporibus secuta est, ita magnis dotibus antecessit. Ut animô supra sexum, probitate ultra hominem, ita meritis supra famam eluctata. Summa plerumq; indoles, ex comitatu pensatur. Leo non se vulgari immiscet gregi sed graditur cum Regibus ani-

Celsissima Constantia Soror Celsissimi Præsulis.

L. mali-

malium. Aquila imbellem columbarum declinat turbam; Hidaſpes oceanum ſubintrat Hermo comite. Sol pingit Parelia ut ſocium habeat ſolem. Heroicæ, Virtutes illius vel ex eo æſtimantur maximè, quod ſe ſociali nexu libertatis ſtatori Jovi, fortium Virorum Ideæ, bellicarum artium armamentario, æterno fœdere adſtrinxerit Illuſtriſſimo Excellentiſſimo STANISLAO PONIATOWSKI Generali Terrarum Maſoviæ Palatino. Virum hunc vix non omnia eripiebant ſibi Regna, optabant ſingulæ Provinciæ, Univerſa ſibi vovebant Imperia. Cum ſe Patriæ ſuæ dederit.

Illuſtriſſimus Poniatowſki Palatinus Maſoviæ.

Invidiam terris tantùm non ponit Olympo CAROLUS XII. *Svecorum Rex*, omnium bellorum Arbitrum, diſcriminum ac periculorum teſtem, victoriarum aſſertorem habuit; & Avitum Leonem didignatus, quod PONIATOVII Taurum, plus quam Phalaridis, majus hoſtium eſſe tormentum adverterit. Audivit heroicæ virtutis in illo portenta LUDOVICUS XV. *Galliarum Rex*, ut Liliis cor, exercitus corpori anima, hoſtibus belli fulmen fuiſſet, ad ſua caſtra invitavit. Auſcultavit ad belli claſſica & publicæ famæ tubam nomen Gradivo celebratiſſimum GEORGIUS *Angliæ Rex*, primas in exercitu obtulit; Regnum in ſuppetias, Auxiliarem Svecorum manum, & magnas Heroum copias, ſi Illuſtriſſimum PONIATOWSCIUM, habiturus.

Quæ non Caſtra Virum? quæ non Provincia norat
Optaratq́; ſuum?

Moſchoviæ ac Turcarum Principes cum habere illum maxime deſperaſſent, æſtimare tamen minime non poterant, quod ſcirent nihil bellis domandis fortius, aut ultrò inferendis ſecuriùs quàm Heroem tantum. Ita didicit ſe non ſibi ſed toti mundo genitum, vires tamen ſuas, dexteritatem, grandes ſpiritus, & quidquid potuit, (potuit autem quæq; maxima) Patriæ & Poloniarum Regi AUGUSTO II. conſecravit. Majora alibi faventioraq; ſibi ſperare poterat, optare tamen fortunatiora noluit, niſi ut vitam quam Liberaliter à Matre accepit Lechia, illius uſibus attereret, impenderet obſequiis. Gratô animô intra Regni viſcera orbis fere univerſi Peragrator, imò intra affectuum præcordia ſalutatus. A Sereniſſimo vero AUGUSTO II. quod magis virtutem illius penetraret & miram in agendo fortia vim expertus fuiſſet, ita acceptus, ut ſuus Epheſtio ab Alexandro. Comparuit in aula, o quæ aulæ tripudia! qui plauſus! reſonabant parietes, perſonabant tecta & illa paſ-

ſim au-

ſim audiebatur echo: AUGUSTUS II. Miniſtram ſibi in PONIATOVIO habet totam Europam. Scit ille aquilam ſcit liliorum naturam, ſcit leonem, novit Draconem, ſcit arma & pacem, ſcit Reges & Principes atq; Idem omnium Regnorum Conſiliarius eſſe poſſet, niſi mallet unius miniſter eſſe Reipublicæ. Taceo quanta privatus egerit, Quantum Theſaurarius Magni D. L. æraria ditaverit, ſe ipſo unione, non recenſeo; unum innuam, quod laudem præ primis æſtimationem præ omnibus, & orbis univerſi admirationem meretur. *Regimen ferens* totius Poloniæ exercitus, *Interregni* tempore ita demandatam ſibi moderabatur Provinciam in turbido, ut optaret in pacato. Nullus tunc (quod extinctô Rege uſu venire ſolet) aliud ſibi quærendum cogitavit Caput, nullus quod per licentiam toties anteactum audivimus, libertatis tuendæ prætextu invadere Palatinatus, vaſtare Provincias, orbare domos, nullus in turbido piſcari omnes Summô Patriæ commodô, afflictæ ſolatio, promptô animô mandata exequi, ſtativa tenere, ſtipendia pacatè expectare, omnes à vultu & nutu illius pendere, à quo tunc unico ſalus pendebat Reipublicæ aut diſcrimen. Fortiora hinc crede ad veritatem aptato Calamo egiſti MAGNE PALATINE Carthaginenſi Duce mollivit ille montes aceto, tu mentes indomitus ſudore quem militaris expreſſit galea; Plus effeciſti excuſſis exercitui armis ne illis viſcera ſcrutarentur Patriæ, quam cum alii enſem ſtrinxerint ad victorias.

Hæc ſunt *Domus Celſiſſimæ* decora, quæ incomptô ſuadæ officiô perſtrinxi temerariè ad irritamenta, non laudavi dignè ad gloriam. Hæc nomina, tantùm laudanda quantùm Gradivus & Cato intelligi poſſunt. Quæ dum ad triumphalem Tuum ingreſſum, magno apparatu Tecum invexiſti Cathedræ Pantheon illam feciſti, id eſt omnium nominum Summam; & Numinum compendium. Veniunt Tecum ANNIBAL SACERRIME grandes ſpiritus, & conſanguineæ Marti animæ. O quantæ hinc militanti Eccleſiæ ſuppetiæ! quàm numeroſa decertanti ad auxilia manus! Tremit perduellis Eccleſiæ rebellio. Nutat & qua parte cadere debeat, præſtolatur fatum; dum tot ac tanti aſſurgunt ad trophæa. Movent enim ſe ſe tumulis Divæ animæ, tumultus ſectarum in Europa ſedaturæ. Divi cineres, Pyrrhium pulverem; pii manes manus ſuppleturi veniunt, palmas quas in cælo tenent, in terris hoſti ſufferendas, deſcendunt militanti fidei porrecturi. Superſtites adhuc vi-

 vacis

vacis animi excitatiſſimum intendunt vigorem, Senatores Conſultiſſimi, Heroes dexterrimi, Miniſtri Regni prudentiſſimi, armant faſces bipennibus ut conſilia ſint triumphalia & Victoriæ de hæreſi ſapientes. Quid ſi Colligatas Domos in belli fædera pertraxeris? Caſtra ſunt & exercitus, qualem nec Auguſtus ad Actium, nec Macedo ad Ciliciam, nec Cæſar ad Pharſaliam numeravit. Omnes quaſi in cryſtallum radii Familiarum lineæ ad honoris CZARTORYSCIANI punctum collimant. Adeſtis Cæſaribus vicini, Regium genus KORYBUTI, KORECCII, OSTROGIENSES, ZBARAVIENSES, Principes SANGUSZCII, ŁUBOMIRSCII. Adeſtis SIENIAVII, WALDSTEYNII, CHODKIEVICII, DENHOFII, TARŁONES, MORZSZTYNII, OGINSCII, BILINSCII, ZAMOYSCII, BRZOSTOWSCII, ZEBRZYDOWSCII, FREDRONES, KRASINSCII, KONOPACCII, STANISLAWSCII, ŁOSII, Bellaces Viri; Hectores in caſtris, Domi Numæ; metum inuritis ſceleribus, terretis flagitia. Cum vero Nuptæ veſtræ Celſiſſimi CZARTORYSCII, GEORGIOS Bavaros FRIDERICOS Legnicenſes, GEORGIOS Saxones BOGUSLAOS Pomeraniæ Duces, FRIDERICOS Brandeburgicos Marchiones. JOANNEM, CHRISTOPHORUM FRIDERICUM Duces Saxoniæ. GEORGIUM CASIMIRUM BERNAM Principes Pomeraniæ vobis adſtrinxerint, Orbem Europeum gloriæ veſtræ ſphæram fecerunt & regna omnia triumphalem coronam.

Sed quid ego longâ ſerie Majores Tuos recenſeam, quid donata cælo nomina repetam? Nomen Tuum ANTISTES Celſiſſime Sexcenta aboriginum ſæcula, Centum Proavos & Majorum laudes repingit. Omnes Abavos Tuos dum Te appello; deſigno ſingulos nomine ſuô dum Tuum enuntio. Vivunt omnes in Te Hærede Virtutum latent in Mentis Sacrario, & apparent dum Tu aſpiceris. Quid Magnorum de gente Catonum ac junctorum ſangvine glorioſe geſta revolvam; nemo bene dives alienis divitiis hæc vera magnitudo eſt magnum eſſe de ſuo. De Tuo Te jam laudabo. Nemo melius vixit in Tuam gloriam quam Tu ipſe vivis.

Celſiſſimi Principis natalis dies in Novembri cum ſol Arcitenentem ingreditur & privata intra Penates ſtudia.

Tantus es
ANNIBAL CELSISSIME
Ut ne primã quidẽ diem aſpexeris,
ſine armorum luce

Ad pri-

Ad primum vocis Tuæ classicum,
intendit sol Pharetras,
non radium;
In astris pennâ notaturus triumphos
quos
in terris olim eras lecturus.
Elementa etiam
in Tuas conspirarunt Victorias;
Omnem arboribus florem
àér decussit,
Spoliavit frondes virore Aquilo,
quasi doceret;
Nullum folium,
rationali quantumvis deberi arbori,
Omnem palmam Tibi.
Calentiores Phæbi non admisti æstus
ut primâ mentis tuæ face,
dies solus accenderes Serenissimos.
Productas amasti cimmerias,
Vel longiori nocte,
Funeri Ecclesiæ hostiũ præludebas.
Tale vitæ exordium
Noñe Heroicũ sequeretur carmen?
Vincula fasciis minatus es,
Abscisso orbi
à Petri annulo.

M Lacry-

Lacrymis vim cælo intulisti,
ut desudaret;
quo nomine in terris dicereris.
Evicisti ut daret THEODORI liberaliter.
Bonis auspiciis;
Incensô Ille Dolorum fanô
Deos in cinerem vertit,
TU extinctis hæresibus,
VERO NUMINI
Triumphalem accendes pyram.
Munificum est?
Addidit aliud CASIMIRI
sic Te
Segetem clypeatam virorum,
manipulum virorum fortium,
designavit.
Ut Talis cresceres;
doctîs laticibûs, literariô sudore
perfudisti frontem.
Discere Marte & arte.
adversa quæq; prosternere
Tibi ludus erat
non negotium.
Incognitos tamen Academiarum recessus
non quærebas,
Musas

Cel-

Celſiſſimæ Domui habuiſti inquilinas.
Publica Athenarum theatra
non adiiſti;
doceri ambiens non videri.
Domi diſcebas
qualis olim foris eſſe debueras.
O quantus erga Te,
Vel ex hoc capite Minervæ amor!
Ut plurimum hactenus plebeia erat
illam Tu Celſiſſimæ menti,
Auguſtiſſimis Palatiis invexiſti.
Senatoriâ illam purpurâ decoraſti,
quæ nec tectum quidem habuerat apud Priſcos.
Invitaſti ad aulam literas humaniter,
ut exuerent;
Si quid barbari in ſilvis Academi induerant.
Parum erat invitaſſe humaniter,
excepiſſe generosè;
niſi ſcitè
hoſpitantem intra Penates tractaſſes Palladem.
O quæ hic Tua ſtudia! qui conatus!
Jam verbis ut nummis perorabas,
ut obæratam Tibi faceres Scientiam
Jam Te Gallicanum Herculem efformabas,
ut aureo ſuadæ nexu,
omnem traheres ad Tuũ arbitrium.
Jam roſas & lilia loquebaris,

ut ſuaviter blandireris.
Jam mella Platonis propinabas
ut nihil in Te deeſſet ad doctas lautitias.
Si per ædes & compita diſcurreres,
non abſq; vatum pedibus,
& literarum conſortio.
Si conditum ſermonem inſtitueras,
miſcebas ſales Pöëtarum
Si membra donaras quieti;
ut Sapientum ſomnia haberes;
non aliud ſiparium Tibi placuit,
quam cortina Apollinis.
Continua Tibi noctu diuq;
cum Mercurio erat conſuetudo,
ne quod tædium Domi *Tuæ*
hoſpitem invaderet ſcientiam.
Muſarum ludus ac erudita literarum otia
nomen pæne ſuum amiſerant,
Ne horam quidem ſine linea patiebaris effluere.
O quanta hic iterum in Pallade
erga Te humaniorem Mercuriô
affectuum incendia!
Apollo
non tam calore Pöëtico
quàm Tuo amore urebatur.
Muſæ
Annulum Pyrrhi peroſæ

in Men-

in Mentis Tuæ ſederunt ſacrario.
Caput
Scientiarum evaſit univerſitas.
Ex domeſticis parietibus,
ita limatam extuliſti adoleſcentiam
ut Cultiorem Hiron non deſideraverit in Achille.

Latere diu intra Penates nō poteras
qui mundo debebaris.
Ingens animus unius orbis impatiens
erupit extra Patriam,
Id eſt
Gemma extra Conchilium ad annulum Piſcatoris,
Fortuna Familiæ ad rotam Cardinalium,
dives Virtutum gaza ad Claves Petri.
Iviſti Romam non ſolus tamen,
nec Princeps abſq; Comite
Ex Polonia iverunt Tecum
Spes Patriæ, vota populi, & Tuorum expectatio.
In exteris qua paſſum moveres
admiratio ſequebatur ſingulorum.
Luſtrare exteros ſoles debuiſti
& Solus digito monſtrabaris.
In illo Orbis theatro
maximum ſpectaculum,
In foro frequentia,
in Appia triumphus;

Celſiſſimi Principis in exteris per novennium ſtudia ac poſtea geſti honores.

N In

In Thaumaturga Divorum ſede
planè Principum miraculum.
Sic

Spectator ſpectandus eras; Potuiſſet in uno
Te, mundus toto quam tu plus cernere mundo
Majorem terris animum mentemq; gerebas.

Brevi
formaſti vultum ad Geniũ Italorum
inter Tuum ingenium & genium Italicum,
tanta fuit affinitas
ut non magis Polonia corporis
quam Italia ſubtilis animi Patria crederetur.
Plus egeras!
quibuſcunq; animi dotibus
regnat peregrinus orbis
Tuæ mentis imperio ſubjeciſti.
Tullii eloquentia,
Tomitani vatis ſuavitas,
Martialis acumen,
Livii gravitas,
Taciti Sententiarum vis
in Te revixerunt
quæ hactenus mori viſa.
Cum verò Philoſophareris,
riſiſſes cum Ariſtotele
Si in Platonem & ejus hominem incidiſſes.
Alii peregrinos orbes viatorum more emetiuntur,
brevem nectentes moram,

ab ex-

ab exteris nihil efferunt
præter ſeipſos.
Tu ut omnia *luſtraſſes* impendiſti *luſtra.*
Romam longiori *mora* penetraſti.
Novennium exegiſti integrum,
ſic novennis ANNIBAL
Ad Aras & Apoſtolorum limina;
juraſti in perniciem Eccleſiæ hoſtiũ,
Cladem rebellium.
Quid in Patriam extuleris?
non mentitos adamantis fulgores,
non gemmas, non aurum
ut projectæ ſolent animæ.
Doctoralem annulum.
opes animi,
Scientiarum pretia
Virtutis Te adamantis æraria.
Miraculum hoc ſanè erat!
Inde Te cum lucro rediiſſe,
ubi non morantur alii ſine jactura.
Ad tantum portentum
Convolarunt Principes, Magnates, Præſules
& unum viſuri, adverterunt plura;
Scilicet illibatum vultûs candorem,
quem Soles calentiſſimi non mutarunt.
Dari extra Græciam ſapientes
cùm Te in Polonia eruditum.

Naſci extra Pactolum Tagumq; gemmas,
cum in Te mores gemmeos.
Hos ut oculatior Cracovienſis advertit Præſul,
Collatô Canonici Cathedralis titulô,
terno Vavelli inſeruit diademati.
Cathedra; cũ munere *Judicis deputati*
obtulit penſandos bilanci Themidis.
AUGUSTUS II.
Sieluneſibus Mitris Infuliſq; innexuit,
Tãdẽ nunc ſceptri MODERATOR;
Ad *Poſnanienſem* invitavit Infulam;
Superaddit tot teniis vittam,
quod non unam Palladem,
In *Tuo Jove Capite*
reperiret coronandam.

Celſiſſimi Principis Virtutes eminentes.

Pantheon ingredior
cum Tuarum Virtutum pando *Sacrarium.*
quanquam
Pauciora fanũ illud numeravit *Idola*
quam *Tu virtutes*;
omni numero abſolutas.
Tractatus de illis ſcribi deberet
Si in pluribus ſimiles legerentur *capitibus*,
notarentur *articulis*
quæ in Tuo leguntur *Corpore*
Car-

Cardinales dixerim?
quia *eminentissimas*.
Sed pluralitate numerum excedunt
non tamen *modum* quia *infinitæ*.
Theologicas?
fidem superant.
ut imitari illas possint
spem extingvunt in mortalibus.
Habituales sint? concede;
in *naturam* utiq; abiverunt.
Et facilius Tibi corporis exuvias deponere,
quam exuere illas.
Singulas evolvere vetat Tua modestia,
tenuitas mea non permittit,
pareo.
Aliquas quæ condi etiã non possunt,
attingere prætendit ambitus styli,
permittet *Tua Sanctitas*,
obtempero.
Extemplò
erumpit *amor superum*,
quo in astra fereris.
in Te alatus quia sublimis.
Hic à focis ad altaria,
à Penatibus ad aras evocavit,
& publico exposuit *Te* cultui adorandum.
Hic cum Sacris initiareris, docuit,
Q non

non alium Panem pingviorem sitire
quam Angelorum;
id est
Cælitum delicias, lautitias mortaliū.
Hic *Sacrificare* erudiit
ut *annihilares Substantiam*
quasi non esset,
quæ fuit in Tuis manibus perampla.
Ubi hæc virtus pedem fixit
nidum aliæ posuere.
Quotidiana celebrandi assiduitas
Virtus est magna, sed non magnorum.
Accessum sibi alii faciunt ad aras,
fuga ab altari;
Pretium victimæ à raritate pendunt.
Alii superfluitatem
sæcularia alii prætendunt negotia
vilitatem suam omnes.
veniâ digni quod excusent,
non excusandi
quod veniæ locum fecerint.
TIBI frequens *ad Aras* victima;
manus quotidianô Sacrificiô cruētæ.
ANNIBAL ad Aras *Sacerrime!*
Omnia militanti evincere potes Ecclesiæ,
cum tam crebro in manibus habeas
DEI

DEI UNIGENITUM Cæli PIGNUS
Quantum à cæleſtibus epulis
capias ſolatii,
patet;
Cum ad terreſtres guſtum amiſeris.
Ex inſtructa dapibus menſa
tantum ſumis
quantum ipſa ſumeret *abſtinentia*
ſi menſæ aſſideret.
Odis Mapparum lautitias,
quas orbes adornant
non condivit cælum.
Ita intra Convivia
pauca arrident obſonia,
qui *Angelorum Pani* ad luxũ aſveviſti
Affabilitatẽ, *Comitatẽ morum*, *modeſtiã*
laudant quotquot noverunt,
efferunt quotquot viderunt,
ego taceo.
Prudentiã, *Juſtitiã*, *Clementiã attingo*
Principum virtutes ſunt
in *Te principales*.
Ex altiſſima erectæ mentis ſpecula,
ita præteritorum memoriâ præſentia diſponis,
ac ſi futura ſolerter prævideres.
Ipſe Tibi Conſul ipſe Senatus
O2 quo-

quoties Te in Concilium Tuum admiſiſſes,
erraſti nunquam.
Judex vero olim Deputatus,
Juſtitiæ clementiam feciſti affinem.
ut neq; illius rigor nimius,
hujus lenitati;
neq; iſtius facilitas
illius præjudicaret æquitati.
Affectum ita moderabaris,
ut neq; Multâ aſperitate,
patientum exulcerarentur animi,
neq;nimia clemētiâ inſoleſcerent.

Securô itaq; Victoriarum pede, tot ſtipatus cohortibus, quot virtutum cinctus copiis, honoris Tui decurre olympia, Trabeate ANNIBAL. Totus quantus quantus eſt, Sanctimoniæ Tibi militat æther, & Conjurati veniunt ad claſſica Divi. Extende non Scipione ſolum, ſed gravem etiam ferrô dextram, probitas auxiliarem manum; Aſtra ſuppetias; rebellio metam ictus *Tibi* porriget & triumphalem palmam. Effrenatum hoſtium Eccleſiæ furorem; pertinacem in malo genium, excitos tumentium animorum fluctus,exaſperatas & velut obducto calle in quævis ruentes diſcrimina non exhorreſce mentes.

Indomitum nihil uſq; pio.

Serpentes venenô illitos tolles, non Tibi nocebunt. Mortiferum virus exhauries, Salutem Tibi & Eccleſiæ propinabis, Montes cælo cladem intentantes transferes, & ſepticolli copulabis Romæ. Compones ubi nidum ceu Alcion poſueris naufragia, malaciâ vultus Tui, Prudentiâ, deditionem in obſequium fidei ſvadebis, Juſtitiâ adjudicabis avulſa Romanæ fidei; Virtute omnem quantumvis arduum laborem ſuperabis. In tantorum laborum Societatem ac obſequia Tua; pridem auctoratam DEO & pro Eccleſia ad effuſionem uſq; Sangvinis decertantem, admittes *Mininam JESU Societatem.* Etiam puſillus grex audebimus tamen quæq; voto majora Te Duce Leone. Jam dudum aſveta his præliis gerimus pectora;in Anteſignano Lojola ſanatum à Petro habemus *pedem*, ad certamen pro fundata in Petro Eccleſia etiam *Pedites* ituri ſi imperaveris. Idem laborum teſtis eris qui & Auctor Imperii. Pugnabimus ad Tuas victorias. In acie ſtabimus ad Ducis noſtri trophæa. Cui ut adverſa quæq; & ipſam Sæculorum vincas invidiam pronô vovemus cultu.

Ad M. D. G.